34-5-9-5

DE NATVRA FOETVS DISPVTATIO.

Auctore

IOANNE SISINIO AMABILI.

Ex legato

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Bib Soc Soc Coll Rom

ROMAE,
Ex Typographia Andreæ Phæi.
M. DC. XV.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprim. ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

Cæſar Fidelis Viceſg.

De Mandato Reuerendiſs. D. Mag. Sac. Pal. Apoſt. hunc Librum de Natura Fœtus diſputatio inſcriptum auctore Io. Siſinio Amabili perlegi diligenter, Nihilq; S. R. E. bonisvè moribus contrarium in eo inueni in quorum fidem &c. Hac die decima [illegible] 1615.

Ego Proſper Martiatius Med. Phyſ. manu propria.

F. *Gregorius Donatus Rom. Mag. & Reuerendiſs. P. S.* P. *Apoſt. Mag. Socius.*

ILLVSTRISS.MO ET REVER.MO D.

CARD. M. ALTO.

IO. SISINIVS AMABILIS.

ILluſtriſs. & Reuerendiſs. Præſul antiquiſſimũs mos ſemper fuit auctoribus cum primũ aliquod opus in lucem ederent, aliquem ei inſignem defenſorem, & eximium protectorem præficere, nè vulgi incuria, & errore obumbrarentur. Ego igitur, qui Fabarim, Tiberimq; bibi, te præ aliis operi meo præpoſui vti eum, qui Sacra Purpura, piis, benignisq́; moribus inſignitus onus, curamq́; Farfenſis littoris, & hominum ſupremo tibi loco tradita ſemper libentiſsime ſuſcepiſti, & tenuiſti. Te igitur ſupplex rogo,

vt hoc de formatione hominis compendiolum, licet infimum inſpecto eius auctore hilari fronte conſpicias; inuenies enim ibi penitioris medicinæ documenta à medicorum Principe Hip. aliisq; grauiſſimis ſelecta auctoribus, ex quibus facile diſcitur cognitis humanæ vitæ, & corporis principiis, & quantum Deo conditori Opt. debeamus, quantumq; noſtræ fragili materiæ minimè fidamus. Hoc igitur humanæ vitæ ſpeculum tibi dicaui, vt iuuentutis meæ primores fructus acerbos licet, & inſipidos tua maturitate perficeres, meq; vnum ex tuis agnoſceres deuinctiſſimum. Vale.

PRAE-

PRAEFATIO.

DE Fœtus Natura diſputare & vtillimū ſemper, ac difficillimū exiſtimaui, vtillimū, quidē qa homo ſuæ primordia generationis aſpiciēs, & Deū conditorem admirari non deſinet,& ſe ipſum ad inſtar cæterorum animantium ex ſemine procreatum, ac in matris vtero tot incommodis, ac periculis coarctatum videns (& ſi adamantinum cor habere credatur) non ſe mitiſſimum reddat, & humanum; ſi quidem in matris vtero Fœtus adeo conſtrictus adeſt, ac conſtipatus, vt ne ſua quidem membra extendere valeat, ſed admodum Erinacei complicata in orbem cogat adeo, vt manus ad genas, caput prope pedes habeat, nec noſſe detur, an caput ſurſum, vel deorſum ſitum ſit, vt Hip. lib.de nat. fœtus affirmat, & Auic. lib.3. fen.21. tract.1. cap.2. in fin. difficilimam vero diſputationem huiuſmodi exiſtimauit Gal. verſus finem lib.qui de Fœtus formatione inſcribitur, & in principio libelli, an omnes animalis partes ſimul

ſiant, vbi quæ partes prius: quæ poſterius procreentur, ſe non noſſe ait, ſed Deum euidenter ſcire, qui eas plaſmauit, cuius quidem difficultatis ratio eſt euidens, quia cum ſemen in reconditis vteri partibus, & à noſtro ſenſu remotis cõcreſcat in animal, nec oculis cerni queat eius augmentum mirum non eſt, ſi ratio, de his, quæ ſolus ſenſus iudicat, certo, & infallibiliter affirmare nequeat. Ego tamen ea referre determinaui, quæ probabiliora, & veriora ab antiquis ſcripta ſunt, nouarumque opinionum auctor eſſe nolui, vbi antiquitas ſcopum attigiſſe viſa eſt. Noſtra igitur tractatio erit de externis Fœtus cauſis, de efficiente, de forma, materia, ſitu, loco, tempore, de partibus prius vel poteſt genitis, de ſimilitudinis, & diſſimilitudinis cauſa, de fœcunditate, ſterilitate, partus difficultate, abotru, mola, monſtro tandem, ac Hermaphrodito. Quæ omnia abſolutã videntur Fœtus naturã demonſtrare. Nunc ergo ad primum caput accedamus.

De

DE CAVSA EXTERNA.

Fœtus. Cap. I.

DIcimus ergo exteram fœtus cauſam, quemadmodum etiam plantarum,& frugum eſſe ambientem aerem aſtris alteratum,vt enim(inquit Philoſophus)ſol & homo generant hominem, quam enim vim habeant aſtra in temporum mutationibus, & in humanis generationibus ſtatim enarrabbo:mittam Iudiciariam Aſtrologiam, quam ſemper nugas cenſui vti circa contingentia, & hominis arbitrium omnino liberum verſantem, ſed de ea tantum loquar Aſtrologia, quam medicus noſſe debet vti corpora inclinans, & alterans arbitrium,& animum immaterialem, & omnibus aſtris imperantem non tangente,de his igitur Auic. in cant. lib.tract.1. à n.100. vſq; ad 104. cap.de aere,& ſeq. de reb non natur. hæc habet. Sol habet iudicia ſuper aerem, qui quidem manifeſtatur in temporibus anni ex impræſſionibus:climata etiam habent ſuper hæc iudicia (& bene quidem tempora anni proponit, & climata, quia pro temporum, & climatum differentia varios aſtra ſortiuntur effectus, vt de frugibus in primis patet, cum nec omni anni tempore, nec omni climate eedem æquè

gingantur, & creſcant) ſubdit poſtea, aer etiam immutatur, & alteratur ratione alicuius aſtri Orientis, vel Occidentis, cum enim ſol appropinquat inflammatis ſtellis, incendit, & inflammat aerem; hoc ſiquidem verum eſt, in tantum etiam, quod cum inflammata elongantur aliquo modo à ſole, videamus aerem aliquantulum infrigidari. Si etiam ſtellæ, quæ dicuntur infortunatæ fuerint in exaltatione ſua, ſignificabunt ſuper corruptionem animatorum: ſi verò, quæ fortunatæ dicuntur; fuerint ibidem, ſignificabunt ſalutem eorundem omnimodam. Et lib.4.fen.1. tract.4. cap. 1. vbi de febre peſtifera verba facit, verſus medium. Peſtilentiales verò fiunt ex aere turbido, & humido: & febres in aere humido ſunt pluris euentus, ſed ſunt minoris acuitatis, & longioris ſpatij. In æſtate verò ſicca paucæ pluuiæ ſunt minoris euentus, & maioris, acuitatis, & velocioris ſeparationis, & meliora tempora ſunt, quæ ſeruant naturam ſuam, & principium omnium harum alterationum ſunt formæ ex formis cœli facientes eſſe neceſſarium illud, cuius aduentus ignoratur, licet ſint quidam, qui dixerūt in eo aliquid non proportionatum ad cauſam eius, immo oportet, vt ſcias, quod cauſa prima longinqua ad illud ſunt figuræ cœleſtes,

leſtes, & propinquæ diſpoſitiones terreſtres. Et quando faciunt neceſſario virtutes agentes cœleſtes, & virtutes patientes terreſtres humectationem vehementem aeri, eleuantur vapores, & fumi ad ipſum, & ſparguntur in ipſo, & putrefaciunt eum cum caliditate debili, & quãdo ſit aer ſecundum hunc modum, venit ad cor, quare corrumpit complexionem ſpiritus, qui eſt in ipſo, & putrefit, quod circundat ipſum de humiditate, & accidit caliditas egreſſa à natura, & ſpargitur in corpore cauſa fluxibilitatis ſuæ, & fit febris peſtilentialis, & communicat multitudo hominum, qui iterum habent in ſe ipſis proprietatem pręparationis: agens enim ſolum cum peruenit, & patienti non eſt præparatio, non accidunt actio, & paſſio: & præparatio corporum ad illud, in quo ſumus de paſſione eſt, vt ſint plena humoribus malis; nam mũda non forſitan patiuntur ex illo, & corpora debilia iterum patientia ſunt ex ea, ſicut illa, quę multiplicant coitũ, & corpora dilatatorũ pororũ humida multæ balneationis.

Et Gal. lib. 17. de vſu part. quis igitur adeo eſt demens, aut operum naturæ inimicus, qui non ex cute ſtatim, & ijs, quæ primium occurrunt, artem opificis intelligat? quis non ſtatim animo concepit mentem

quan-

quandam eſſe, quæ vim habeat admirabi-lẽ,quæq; terras omnes pręuadens in omnes eius partes extenditur. vbiq; certe animalia procreari videas, quę conſtructionẽ habent admirabilem. Quanquam quænam vniuerſi pars terra eſt ignobilior: Attamen mens quædam cernitur ad ipſam à corporibus ſuperioribus perueniſſe, quæ ſi quis contemplatus fuerit, ſtatim ſubſtantiæ pulchritudinem admirabitur, primum, ac maximè Solis, poſt ipſum Lunæ, deinde ſiderum,in quibus par eſt, quanto corporis ſubſtantia eis eſt purior, tanto etiam mentem inhabitare corporibus terreſtribus meliorem, ac perfectiorem; cum enim in limo, in colluuie, in paludibus, in plantis, fructibusq; putrentibus animalia gingantur,quæ vires illius, qui ſe ſe condidit,oſtendunt mirificas, quid de corporibus ſuperioribus eſt putãdum: Licet autem ipſam perſpicias naturam,vel in ipſis hominibus, ſi Platonem, Ariſtotelem, Hipparcum, Archimedem, ac plures alios contempleris. Cum igitur in tanta colluuie (quo enim alio modo quis appellet id, quod ex carne, ſanguine, pituita, ac bile vtraq; eſt conflatum) mens gingatur adeo eximia, quantam eiuſdem putandum eſt eſſe excellentiam in Sole, Luna, alijsq; ſideribus? Mihi quidem, dum

hæc

hæc mente reuoluo,non exigua quædam mens huiuſmodi per ipſum etiam aerem nos ambientem videtur eſſe extenſa; fieri enim non poteſt, cum lucis ipſius Solis ſit particeps, vt non etiam vim ab ipſo aſſumat. Nec dubito,quin mihi ſis ſubſcripturus, ſi modo artificium, quod animalibus in eſt,diligẽter,ac iuſte examinaris,neq;(quod dixi) contrariæ de ipſius vniuerſi elementis opinioni, quam temere quidam poſuerunt, inhæſeris; nam ſi quis nulli ſectæ addictus, ſed libera ſententia rerum cõſiderationem inierit, conſpicatus in tanta carnium, ac ſuccorum colluuie tantam mentem habitare: conſpicatus item, & cuius vis animalis conſtructionẽ(omnia enim declarant opificis ſapientiam) mentis,quæ homini ineſt, excellentiam intelliget, tum opus de partium vtilitate, quod prius exiguum ſibi eſſe videbatur perfectiſſimæ Theologiæ verum principium conſtituet, quæ Theologia multo eſt maior, ac perfectior tota medicina. Non igitur ſoli Medico opus de vſu partium eſt vtile; ſed multo certè magis Medico,Philoſopho, qui totius naturę ſciẽtiam ſtudeat ſibi comparare,eumq; oportet ijs ſacris initiari,& c. Accedit Hip. auctoritas ex lib.de aeres, aq. & loc. vbi multa de ſitu Vrbium,& Regionum vario influxu,ac

Scytha-

Scytharum præſertim in fœcunditate, ac varijs hominum naturis, & formis ex aſtrorum aſpectibus, & climatum ſitu. Qui prope libri principiũ hæc aſſerit. Quare qui ea ſtudioſè rimatus fuerit, vniuſcuiuſq; temporis, ac anni futuri conſtitutionē prædicere poterit, qui videlicet morbi communi affectione ciuitatum ſint inuaſuri, tum æſtate, tum hieme, & quæcunque pericula vnicuique ſint timenda ex dietæ, ac victus mutatione, cum enim temporum mutationes, ac aſtrorum ortus, & occaſus obſeruauerit, quemadmodum ſingula horum eueniant, prænoſcet vtique, & de anno qualis ſit futurus; hoc namq; modo ſi quis rimatus fuerit, ac præcognouerit temporum occaſiones, maximè de ſingulis ſciet, vt plurimũq; ſanitatem aſſequetur, & recta via procedet non minima artis ſuæ gloria. Quod ſi cui hæc ſublimiora videantur, is ſi ab hac ſententia diſcedat, diſcet ſanè non minimam partem conferre ad rem medicam ipſam aſtronomiam, ſed omnino plurimum, cum vna cum temporibus, & ventriculi in hominibus mutentur. Et idem Hip. 3. aphor. 12. volens oſtendere aeris alterationem maximè fœtum immutare, hæc habet. Si verò hiemens auſtralis, & pluuioſa, & ſerena fuerit, ver autem ſiccum, & aquilonium, mulie-

res,

res,quibus partus ad ver ineſt, ex quacun
occaſione abortiunt: quæ vero parient,im
becillos,& morbidos infantes parient, qu
re vel ſtatim intereunt, vel tenues, & val
tudinari; viuunt : cæteris verò mortalib
difficultates inteſtinorum, & lippitudine
ſiccę fiunt, ſenioribus autem deſtillation
quæ cito interiment. Ex his ergo pat
aſtrorum, & aeris ad generationem, co
ruptionemq; viuentium corporum vis,at
poteſtas frigidis,calidis,humidis,ſiccis,alijſ
que immodicis qualitatibus, ad cuius eu
dentiã iterum Hip.5. aphor.62.hæc addi
Quæcunque frigidos, & ſpiſſos vteros ha
bent,non concipiunt,& quæcunq; præhu
midos vteros habent,non cõcipiunt, extin
guitur enim in his genitura, & quæcunqu
ſiccos,& magis adurentes; nam ex defect
alimenti corrumpitur ſemen. Quæcunqu
verò ex vtriusq; mediocrem habent tempe
raturam, hæ fœcundiores ſunt :& text. 63
eiuſdem. Similiter autẽ,& in maribus, au
enim propter corporis raritatem ſpiritu
extra fertur,vt ſemen non tranſmittatur ad
os, vel propter ſpiſſitudinem humor non
exit foras vel propter frigiditatem non cõ-
caleſcit ita,vt ad hunc colligatur locum,ve
ppr caliditatẽ hoc idẽ accidit,& hæc de hi
ſatis.Nunc ad ſecundũ quæſitũ accedamus

DE

DE CAVSA EFFICIENTE. Cap. II.

EFFICIENTEM fœtus cauſam, cæteraq; eius eſſentiam conſtituentia, facilius dignoſcemus, ſi fętus definitionē attulerimus: vtq; à nominis notione incipiamus, per fœtum intelligimus quemcunque conceptum in vtero mulieris exiſtentem, genitum ex virili muliebrique ſemine ſimul miſtis, & alteratis: Realem autem definitionem, eſſentialemq; afferentes dicimus fœtum eſſe genituram fœcundam viri, & mulieris in vtero ſimul miſtam, ſuoq; ſpiritu inflammatam, à tēperata diſpoſitione vteri, ac ſeminis facultate coaceruatam, craſſe factamq;, menſtruoq; ſanguine auctam, & in animal formatam. Quæ videtur eſſe conſona Hip. dictis lib. de natura fœtus in principio, Auic. lib. 3. ſuæ medicinæ fen. 21. tract. 1. cap. 2. & Gal. in libello de fœtus formatione vbi ſemen opificis rationē habere ait, ac in lib. de ſemine paſſim, & lib. 1. præſertim cap. 1. vbi ſemen, & opificis, & materiæ rationem habere affirmat ex Hip. ſentētia. Dico igitur ex ſuppoſitis efficiens, & agens eſſe ipſius ſeminis formatricem, vteriq; potentiam, vt Gal. ait lib. 1. de ſem.

cap.

cap. 13. his verbis. Verum iuxta primam ex ſemine generationem coaceruatus eſt humor, ex quo vaſa ipſa formantur opifex autem ipſius duplex eſt tum facultas, quæ in ipſo ſemine eſt, tum quæ in vteri vaſis, &c: non enim fœtus ſolius ſeminis opus eſt tanquam agentis, ſed etiam vteri vt adiuuantis, recipientis, & alterantis, ex quo nec omne ſemen fœcundum, nec omnis vterus, & quanquam fœcundum ſemen in ſterilem vterum immittatur, tamen in animal ex mala vteri diſpoſitione non concreſcit, ſicut nec etiam ſemen infœcundum in vterum bene temperatum immiſſum; cum enim agens non agat ſupra ſuam potentiam, ſemen carens ſua iuſta temperie infœcundũ exiſtit, ſicut etiam vterus; agens enim agit in diſpoſitam materiã, & generationi proximam: ſemen ergo cum ſecundum ſui formam agens ſit, ſecundum verò materiam patiatur, ſi vel vis formalis, vel materialis aliquo modo vitietur, fœcundum non eſt, ſicut etiam nec ipſe vterus eo modo diſpoſitus; vterus enim & agentis quoque, & patientis rationem habet, ſicutq; ſemen habet materiam fœtus, ita & vterus nempè menſtruum ſanguinem fœtum nutrientem, & agentem; habetq; formam agentem, quæ eſt eius temperies, & ſicut plantarum ſemi-

na in ſterilem terram proiecta infœcunda fiunt, & inutilia, ſic, & hominis ſemen in ſterilem vterum immiſſum, & è contra licet fœcunda ſit terra, ſi vitium ſeminis adſit, non naſcitur, ſic & in fęcundo vtero ſemen corrumpitur. Quę quidem ſimilitudo in huiuſmodi rerũ explicatione videtur ab Hip. indicata in libello de fœtus formatione, vbi à plantorum in terra incremento multa argumenta depromit.

DE FORMA. Cap. III.

FORMAM autem plaſmationis fœtus ex dictis colligimus eſſe ipſorum agentium modum operandi, diximus enim genituram ſimul miſceri, inflari, coaceruari, craſſefieri, & augeri; nam hoc modo fœtus in animal cõſurgit; inquit .n. Hip. in princ. lib. de natura pueri. Si genitura ab vtriſq; permanſerit in vtero mulieris, primum quidem ſimul miſcetur, vt pote muliere non quieſcente, coaceruaturque, ac craſſa per calorem euadit; deinde ſpiritum concipit nempe in calido exiſtens, & poſtea matre ſpirante. Deinde vbi ſpiritu repleta fuerit, viam hic ipſe ſibi foras facit, & per mediam genituram ſpiritus erumpit; cum au-

tem

tem ſpiritui calido via foras facta eſt; rurſus alius frigidus à matre inſpirat,atq; hoc facit per omnē tempus; caleſcit enim vt poteſt in calido exiſtens, & ſpiritum frigidum concipit à matre ſpirante omnia autem, quæ caleſcunt, ſpiritum habent: ſpiritus autem erumpit, & ſibi ipſi viam facit,& foras procedit. Id autem, quod caleſcit, rurſus in ſe ipſum alium ſpiritum frigidum trahit per fiſſuram, vnde nutritur. Atq; hoc contingit etiam in lignis,& in folijs, cibisq; ac potibus, ſi fortiter calefiant: eius rei notionem ligna ardentia exhibent omnia enim ligna hoc faciunt,maximè verò ſubuiridia: ſpiritus autem, cum foras procedit, circum cæſuram volutatur id,quod ſemper fieri videmus. Manifeſta igitur eſt ratiocinatio de ſpiritu quod calidus exiſtens in ligno attrahit alterum frigidum, à quo nutritur,& à ſe ipſo dimittit, nam ſi non alterum pro eo,quem à ſe dimittit, attraheret, non volutaretur ſpiritus foras prodiens,omne enim calidum frigido moderato nutritur, & vbi per calfactum fuerit humidum, quod eſt in ligno, in ſpiritum mutatum foras prodit, & qua parte foras exit, ea ipſa calidus, qui ineſt adhuc in ligno, alterum frigidum ſpiritum eius loco attrahit, à quo nutritur. Idem faciunt,& folia viridia cum

enim incenduntur,ſpiritum concipiunt,deinde erumpit ſpiritus, & viam facit, forasq; prodit, & circum volutatur, procedens autem ſtrepitum facit, qua parte inſpiratione̅ præbet. Quin, & legumina, & frumenta, & arborei fructus nucũ generis calefacta ſpiritum habent, qui fiſſura facta foras prodit, & ſi humida fuerint, ampliorem ſpiritum emittunt, & rimam maiorem faciunt. Et quid multis opus eſt? Omnia,quæcunq; calefiunt,ſpiritum emittunt, & alium frigidum viciſſim eius loco attrahunt,à quo nutrimentum ſumunt. Atq; hæ neceſſitates ea gratia à me proditæ ſunt, vt cognoſcatur quod genitura in vtero calefacta ſpiritum habet,& emittit,ſimul autem, & à matre ſpirante genitura ſpiritum habet; cum enim mater frigidum attraxerit ex aëre in ſe ipſam, fruitur eo etiam genitura: calida autem eſt vt pote in calido exiſtens,& tunc ſanè ſpiritum habet,& emittit,atq; ip ſa genitura inflata pelliculam acquirit, circuntenditur,quod forinſecus circum ipſam eſt, continuumq; euadit vt pote viſcoſum exiſtens, quemadmodum in pane, dum torretur, tenue quiddam pelliculæ ſpecie in ſuperficiem abſcedit,ac extat; caleſcens enim panis, & inflatus eleuatur:qua parte verò inflatur illic pelliculæ ſpecies excitatur, & conſiſtit.

conſiſtit. Genituræ autem calefactæ, & inflatæ ex toto pellicula forinſecus circundatur verum circa medium genituræ ſpiritui tranſitus extra, ac intra fit per pelliculam, & hac parte tenuitas pelliculæ à genitura diſtat, & pauciſſimum quid de genitura ineſt; ipſa autem reliqua genitura rotunda eſt in pellicula, &c. Et paulo poſt de genitura ſex dierum loquens. Qualis autem erat, ego referam, veluti ſi quis ouo crudo externam teſtam circumcirca adimat, in interna vero pellicula incluſus liquor pellueſcat. Modus quidem talis erat (& vt abunde dicam) ruber erat liquor, & rotundus, in pellicula verò fibræ quædam albæ, ac craſſæ ineſſe videbantur cum cruore, craſſo, & albo obuolutæ: circum autem pelliculas foris cruenta veſtigia inſtar ſugillatorũ, iuxta mediũ verò tenue quid eminebat quod mihi vmbilicus eſſe videbatur, & per illum ſane ſpirationem extra, & intro primùm facere apparebat: quin, & pellicula genituram ambiens, ac complectens tota ex illo tenebatur, &c. Et paulò infra. Atq; hæc mihi de huiuſmodi dicta ſunt, quòd genitura in pellicula eſt, & ſpiritum habet intro, & foras, & augeſcit à matre ſanguine in vterum deſcendente, &c. Ibidem. Et augeſcit volucris in ouo, & coarticulatur

modo eodem,ac conſimili veluti puer, &c. Et poſt medium lib.cenſeo enim terræ naſcentia omnia viuere ex terræ humore, & qualem terra humorem in ſe ipſa habet, talem etiam naſcentia ex ipſa habere. Sic etiã puer viuit de matre in vteris,& quali mater ſanitate prædicta eſt,talẽ etiam puer habet. Et infra. Quemadmodũ etiam quæ in terra creſcunt,à terra nutriuntur, & prout terra habuerit, ſic etiam naſcentia in terra habent; etenim ſemen vbi deiectum fuerit in terram humiditate quadam ab ipſa impletur(habet enim in ſe terra omnigenum humorem, vt naſcentia nutrire poſſit) impletum autem humore ſemen inflatur,& intumeſcit, & vis, quæ in ſemine leuiſſima eſt, ab humore condenſari cogitur, condenſata autem à ſpiritu vis, & humore folia producente ſemen rumpit, & primum folia foras emergunt: vbi verò emerſerint,cum non amplius ab humore in ſemine exiſtente folia nutriri poſſint, rumpitur inferne ſemẽ itemq; folia,& ſemen à folijs coactum vim ſuam ad inferna demictit, quæ videlicet in ipſo reſtat propter grauitatẽ, & fiunt radices ex folijs diſtentæ: poſt quam autem planta iam firmiter radices egerit, & alimẽtum à terra ſumit, tunc ſane totum euaneſcit,& in plantam conſumitur præter corti-

cem

cem,qui ſolidior eſt,rurſus autem cortex in terra putrefactus progreſſu temporis euanidus fit, & quædam folia ramos producunt, &c. Infra. Vbi vero ſolidior facta eſt, & progreſſu temporis radices egerit, tũ iam & venas habet amplas, tum ad ſupernam,tum ad infernam partem:& tunc ſane non amplius aquoſum ex terra trahit alimētum, ſed craſſius, & pinguius,ac copioſius, quod calfactum à ſole efferueſcit in extremitates, & fit fructus iuxta cognationem ex quali etiam generatus eſt. Multus autem ex modico propterea fit, quod ſingula ex terra naſcentia maiorē vim ex terra,quàm ex eo,vnde generata ſunt, trahũt, & efferueſcunt non ſecundum vnum, ſed ſecundum multa cum autem fructus prodierit, à planta ſua nutritur, planta enim a terra trahens fructui tranſmittit: ſol autem fructum coquit,& ſolidũ facit, quod aquoſius in ipſo eſt,ad ſe trahens. Atq; hæc mihi dicta ſunt de his, quæ ex ſemine naſcuntur à terra,& aqua,&c. & inferius. Quod ſi quis conſiderare velit ea,quæ de his dicta ſunt ab initio vſq; in finem, inueniet naturam omnem conſimilem eſſe, & ex terra naſcentium,& hominum,&c. Ibidem poſt quam iam articulatus fuerit puer ſpeciebus membrorum ipſius augeſcentibus, tunc &

oſſa duriora fiunt, & cauantur, atq; hæc à ſpiritu fiunt. Ibidem. Cæterum caro augeſcens à ſpiritu articulatur, & abit in hac vnumquodq; ſimile ad ſimile, denſum ad denſum, rarum ad rarum, humidum ad humidum, & vnumquodq; in propriam regionem abit iuxta cogñationem ad id, à quo genitum eſt, & quæcunq; à denſis genita ſunt, denſa ſunt, & quæcunque ab humidis, humida, & reliqua iuxta eandem rationem fiunt in incremento: & oſſa dureſcunt à calore conglutinata, & ſanè ramificantur velut arbor, & tum interna, tum externa corporis adhuc melius articulantur, ipſumque caput diſtantiam acquirit ab humeris, & brachia, ac cubiti à lateribus, & crura inter ſe diſparantur, & nerui exiliunt circum naturas articulorum, & os per ſe diducitur, & naſus, & aures eminent in carne, ac perforantur, & oculi implentur humore puro, & pudendum conſpicuum fit, vtrum tandem ſit, & viſcera coarticulantur, & iam etiam ſupernis partibus ſpirationem facit tum ore tum naribus, & venter inflatur, & inteſtina inflata ſuperne per vmbilicum ſpiritum aſſumunt, ac diſperdunt, & in podicē via fit à ventre, ac inteſtinis foras, & in veſicam via foras. Atq; hęc oĩa à ſpiritu coarticulantur, nam inflata diſparantur omnia iuxta cogna-

gna-

nationem. Auic.lib.1.ſen.1.doctr.6.cap.2.
erſ. fin. cap. hæc confirmare videtur, &
b.3. fen.21. cap.2. de fœtus agens forma-
one hæc habet. Cum matrix colligitur
uper ſperma, tunc prima diſpoſitionum,
uæ aduenit illic, eſt ſpumoſitas ſpermatis,
 eſt ex operatione virtutis formatiuæ: &
eritas quidem ſpumoſitatis ipſius eſt ex
oc, quod virtus formatiua mouet illuc,
uod eſt: in ſpermate ex ſpiritu animali,
aturali, & vitali ad mineram vniuſcuiuſ-
ue eorum, vt figatur in ipſa. De his plu-
a Gal lib.1. de nat.facult. cap.5. & 6.& de
natomia viu.de anotomia matricis agens
ic inquit. In principio enim admiſcentur
permata, & fit ſpuma in eis mediante ven-
oſitate eleuante ampullas; in ipſis enim
unt tres ſpiritus, ſcilicet naturalis, ſpiritua-
is, & vitalis, qui mouet materiam quolibet
enere motus, quorum quilibet intendit ad
generationem propriæ cauſæ materialis,
cilicet ſpiritus vitalis ad generationem cor-
dis, ſpiritus naturalis ad generationem he-
patis, & animalis ad generationem cerebri.
Subintrante ergo in profundum ſpermatis
ventoſitate, actione trium ſpirituum in me-
dio naſcitur veſicula quædam, ſuperius au-
tem propè alia veſicula, à latere iuxta infe-
riorem alia: ex prima veſicula formatur ip-

ſum cor; ex ſecunda ſuperius poſita cerebrum: ex tertia hepar. & lib 1. de ſem.c.6. Quantum quidem ex ſemine ipſo vterum contingit, hoc ſtatim membrana fit, quemadmodum paulo ante eſt commoſtratū: reliquum vero totum habuit quidem,& ipſum inſitas facultates attractoriam quidem familiarium,per quam attracturum,& alteraturum alimentumque ſibi facturum erat: expulſoriam autem alienorum,& ſuperfluorum: habuit præterea & materias familiares,quas attracturum erat ab vtero, ſanguinem videlicet, & ſpiritum per oſcula, quibus eſt connexum: & ſanè hæc ſtatim à principio per ambientem membranam nō dum duram factam attraxit: ſimul igitur ferebantur, quæ ab vtero attrahuntur ex vaſis, & membrana ſemper magis fiebat dura, atq; ad finem quidem pœnitus dura erat, & cohærens, totumq; fœtum orbiculatim amplectens:ſolæ verò illæ partes perforatæ erant,per quas materiæ ferebantur. Liquet igitur ex dictis forma, & modus fœtum generandi, ſequitur vt de materia verba faciamus.

DE

DE MATERIA.
Cap. IV.

FOETVS igitur materiam ſemen fęcundum poſuimus in definitione vna cum ſanguine menſtruo:non enim poſſibile eſt, vt ſemen ſolum materiam fœtui ſubminiſtret, vt animal tam magnum euadat, ſed alia adiuuante materia opus habet: ipſum enim tanquam fermentum totam aduenientis materiæ maſſam diſponit,& ebullire facit,vt Gal.ait lib cit.de viuorum anatomæ; ſemen enim ex ſe ſolo tanquam materia non poteſt animal perficere, ſicut nec etiam ſemina in terram proiecta, integra plantarum materia ſunt. Vnde ipſum ſanguinē menſtruum potiſſimam fœtus materiam fatetur Gal. lib. 2. de ſem. cap. 2. ſic inquiens. At verò in animalibus ſubiecta ad generationem ipſorum ſubſtantia menſtruum ſolum eſt, velut Ariſtoteles dixit, principium verò motus ex ſemine accedit: & ſane etiam ipſe Athæneus ſimiliter vt Ariſt. materiam generationis animalis in menſtruo collocat facultatem vero motoriam in maſculo ſemine. Vbi Gal non videtur negare ſemen etiam materiæ vim habere, ſed vult menſtrua tanquam abundantiora magis

magis fœtui iam adulto, & animali facto eſſe materiam nutrientem, & augentem: quod ſi de primo principio generationis fœtus loquamur, falſum eſt ſemen non eſſe etiam nutrimentum,& materiam,cum ſanguis ſit potentia ſemen, & ipſum ſemen ex ſanguine magis digeſto fiat, & generetur,vt Auic.ait lib.3.fen.20.tract.1.cap.1. Et idem Gal.in princ. lib. de ſem.fatetur ſemen materiæ,& opificis ratione habere,quod euidentiſſime patet in neruis, arterijs,venis, alijsque corporis partibus, in quibus ſeminis materia remanet, adeò vt nunquam diſciſſa reuniantur,vel in pueris rariſſimè,licet comparatiuè quidem ad menſtruum exigua ſemen materia ſit. De ſemine igitur, & ſanguine menſtruo vberius agentes tanquam fętus potiſſima cauſa,& materia,quæremus primo de ſemine quid ſit, & quomodo generetur, deinde de menſtruo ſanguine materiam proſequemur.

DE SEMINE.
Cap. V.

FOECVNDVM igitur ſemen aliud nil eſt,quã viri,& mulieris ſanguis nutritioni ſuperuacuus, ſpiritu miſtus, dealbatus,viſcidus, & craſſefactus in venis primo,

ac

ac præcipuè in flexuoſis alteratus, beneque coctus, in teſtibus demum perfectus, in vteroq; mulieris miſſo, & vnito. Spiritum proponit Ariſt. lib. 2. de generat. animalium cap. 3. Hip. lib. de natura fœtus, vbi ſemen ſpiritu plenum affirmat, ac præſertim vitali, ex quo facile argumentum ſumi poteſt admodum Veneri indulgentes non eſſe multum vitales; ſeminis enim emiſſione vitalis ſpiritus diſſipatur, vt Gal. ait cap. 16. lib. 1. de ſem. & cap. 5. eiuſdem de ſpiritu ſeminis contra Ariſt. loquens. Neque enim, quod ſpiritu vitali plenum eſt, te latet; tu enim vnus es, qui ſemen ſpumæ probe aſſimilaſti multas bullas, paruitate inuiſibiles ſingulatim in vnum conuenientes ipſum operari tradens. Tu etiam fabulam non reprehendiſti, quæ Venerem ex ipſo natam eſſe tradit. Et cap. 16 Neq; verò ſolum ſeminariam humiditatem ab omnibus animalis partibus auferri contingct hoc tẽpore, ſed etiam ſpiritum vitalem; nam & hic ex arterijs vnà cum ſeminali humiditate euacuatur. Quare non mirum eſt immoderato coitu vtentes imbecilliores reddi à toto corpore vtroq; ſinceriſſimo ablato, accedente inſuper voluptate, quæ ipſa per ſe ſufficiens eſt vitalem firmitatem diſſoluere, adeo vt iam quoſdam ex nimia voluptate,

ac iucunditate mortuos eſſe conſtet. Et c.8. ſemen quidem trahit ad ſe per vaſa ad vterum pertingentia ſanguinem, & ſpiritum vtrumq; ad ſuam propriam cauitatem. Et paulo poſt. In permixtione namq; ad ſemen muliebre multæ bullæ ruptæ ſunt, ex quibus intro, & ad profundum ſpiritus ſe ipſum ſeruare cupiens ceſſit; neq; enim velut vapor erat, ſed per ſe mobile principiū animalis, quemadmodum, & ventriculum, ſiuè cauitatem humorem continentem plenum ſpiritus ipſi ſemini produxit. Et 9. de vſu part. cap 4. quod autem ad præſens inſtitutum attinet, ſat erit flexus varici formis (in quo ſanguis, & ſpiritus ad ſpermatis generationem accommodi adaptantur) meminiſſe, & lib 14. cap. 10. Ipſum autem ſemen ſpirituoſum eſt, ac ſpumoſum, vt ſi extra effuſum aliquando fuerit, paulo poſt diminutius multo appareat quam cum initio exciderat, derivueturq; citiſſimè præ viſcoſitate, neq; quemadmodum muccus, & pituita diutiſſime perdurant, neq; ſiccantur molemque æqualem ſeruant; tenuis enim, & aquoſa, ac cruda horum: craſſa autem, & viſcoſa, ac ſpiritu vitali plena, ipſius ſpermatis eſt humiditas, & lib. 16. cap. 10. cum enim ad omnes, vt diximus, partes natura breuiſſimo interuallo arterias, & venas adducat;

ducat;

ducat:ad ſolos omnium teſticulos,& mammas non à propinquis vaſis, ſed longinquis duxit nequaquã primi ſcopi oblita,ſed meliorem alium ſecuta; lac enim, ac ſemen ex ſanguine ex acte cocto generantur coctionis autem perfectionem tempus moræ ac conſuetudinis cum vaſe ferente ipſis tribuit; mora enim ex neceſſitate accidit in longioribus: longiora verò ſemper ſunt, quæ à longinquo veniunt. Conuenienter igitur teſticulis, ac mammis natura non à propinquis vaſis, ſed longiſſimo interuallo ſanguinem, ac ſpiritum adducit. Atqui ſi ſemen ipſum confici exactius oportebat, ſola interualli longitudo ipſi non ſufficiebat, quo modo lacti: alioqui natura fuiſſet iniuſta,ſi inæqualibus, ac diſſimilibus æqualia, ac ſimilia omnino tribuiſſet ob eam igitur cauſam non à longinquo modo venas, & arterias ad teſticulos vt ad mammas deduxit, ſed præterea multipliciter eas, prius quàm inſerat, inuoluit. Et idem Gal. lib. de ſpermate. Sperma viri fortius eſt, & calidius muliebre: muliebre verò nutrimentum eſt ſpermatis virilis. Secundum igitur naturam ſpermatis vt ex ſubtiliori natura quatuor humorum procreati in coeundo emittitur completum,ac animatum,ac tunc ſpermati muliebri aſſociatum recipitur cũ

quo-

quodam ſpiritu in matrice,& ibi impingueſcit ex matricis calore, & fomento, ſpiritu per arterias ſubtiles attracto;alius enim ſpiritus eſt ille, qui venit per arterias ſubtiles, & fouet matricem exterius, alius eſt, qui cũ vtroq; ſpermate in eam intrat: & ille ſpiritus,qui exterius eſt, non permittit exire ſpiritum interiorem, ſed conſtringit eum ad fouendum infantem, & calefaciendum:poſtea verò venit in matricem quidam alius ſpiritus exiſtens ex ſubtiliori natura ſanguinis, qui iungens ſe ſpermati vertit in naturam carnalem per matricis calorem, ſicut hepar vertit phlegma in ſanguinem in duobus vaſis, in quibus operatur fortiter operã ſuam cum virtute fellis. Et ibidem cap. de ſpiritu quid ſit,& qualiter operetur ſpermatici ſpiritus virtutes ſunt tres, quarum prima eſt neceſſitas, ſecunda virtus, tertia organum: neceſſitatis duo ſunt opera; nam calorem cuſtodit,& ſpiritum animalem nutrit: virtus verò eſt complementum: organum verò diſcernit omnia ex opere animæ: ſpiritus autem ille, cuius origo eſt à corde, porrigit ſe per arterias, & venas dans in venis ſanguinem, mutando ſe in calorem naturalem,& ſpiritualem vitam:fumus autem progrediens ex calore ſanguinis eſt nutrimentum ipſi ſpiritui, qui fumus ſpiritualis

mittit

mittit ſe à venis in arterias exiſtens animatio totius corporis,& nutrimentum. Quæ Auic.lib.3.fen.20.tract.1.cap.1. penitus cõfirmauit, vbi pluries mixtionem ſpiritus, & ſeminis faſſus eſt.

Altera particula, qua ſanguinem poſuimus eo modo diſpoſitum, coctum, & alteratum ipſius ſeminis partem, & materiam, partim patet ex dictis, partim ex dicendis euidentius demonſtrabitur. Ad cuius euidentiam Gal.lib.2.de ſemine cap.4. ſanguinem optime coctum ipſum ſemen appellauit his verbis. Nè igitur fruſtra generatum eſſe ſemen muliebre dicamus; melius enim erat ipſos caſtigato ſermone dicere impoſſibile eſſe fœminam, & ſanguinarium habere excrementum,& ſemen generatiuum; ipſis enim ob temperamenti frigiditatem ſanguis ſuperuacaneus coarceruatur; forti autem caliditate opus eſt ad generationem ſeminis ex acte elaborati,& per cocti:& humidior quidem eſt fœmina,ac frigidior: calidior autem, ac ſiccior maſculus. Rationabiliter igitur alteri quidem deeſt quid ad ex actam ſeminis per coctionem alteri vero impoſſibile eſt ſanguinarium excrementum habere præ caliditate, & ſiccitate id ipſum totum reſiccante. Ob id igitur,& animalia, quæ ſicciori temperamento prædita ſunt; velut

velut plurimæ gallinæ, & ex piſcibus non pauci oua generare ſolent citra maſculi conuerſationem: deeſt autem etiam his quippiam ad perfectionem, ſi non aſſumant ex illo caliditatem. Non tamen impoſſibile eſt animo concipere tale temperamentũ animalis corporis, vt perfectum animal generet absq; alterius permixtione: animal tamen perfectum in ſe ipſo concipere verè difficile eſt, & fortaſſis impoſſibile. Et lib. 1. de ſem. cap. 6. aperte aſſerit venas, & arterias ſemen operari, quod alias fieri non poſſet, niſi ex ſanguine optimè elaborato ſemẽ fieret, & in teſtibus affirmat maiori copia generari quia ipſis ſinceriſſima exacte inſit ſeminis qualitas. Et cap. 12. de generatione ſeminis loquens. Apparet igitur arteria, & vena in vtrumq; teſtem non recta via ſicut in alia omnia procedere, ſed multiformiter ad pampinorum vitis, aut hederarum ſimilitudinem inuolui. Vnde ſanè puto etiã ipſis artis diſſecandi corpora peritis in mentem veniſſe, vt aliqui quidem hederiformem, alijsq; pampinoformem ipſarum naturam appellarent. In multis itaq; huiuſmodi vertiginibus, quas faciunt prius, quam ad teſticulos perueniant, licet tibi videre ſanguinẽ paulatim albeſcentem, & ad finem, poſt quam iam teſtem contigerit vas ipſum,

ipſum, ſeminis ſubſtantia in ipſo manifeſte apparet. An verò & ex teſtium natura alterationem aliquam aſſumat, alias impoſſibile ſit ipſum perfici, in præſens conſiderare prætermittamus: ſequamur autem, ſi vis, primum Ariſtotelem, quod teſtes ad ſeminis generationem nihil conferunt. Quare non plurimam, ſed totam ſeminariam humiditatem tum arteria, tum vena operātur. Natura itaque eſt ipſis generatiua ſeminis, verum ex ſanguine ipſum generarunt per multum tempus in eis verſato; hæc enim eſt vtilitas vertiginis, & obuolutionis: alteratur autem vtiq; ſanguis tranſiens in ſemē; omne autem alterans in ſui naturam ducit id, quod alteratur, quod ſanè etiam apparet; album enim, & craſſum, & viſcoſum eſt ſemē, aptum, vt arteriæ, & venæ nutriat corpus. Et cap. 8. Semen equidem trahit ad ſe per vaſa ad vterum pertingentia ſanguinem, & ſpiritum. Ex quo colligi poteſt ſemen ſanguine nutriri, & per conſequens ex ſanguine produci, cùm vnumquodq; ſimile appetat, vt Philoſophus ait, & Gal. quidem dicto cap. 12. & in lib. de nat. facult. paſſim affirmat vnamquamq; corporis particulam habere familiarium, & conſimilium attractricem. Et clarius cap. 16. Vnaquæq; animalis pars humorem ad ſe loco alimenti in-

C fluentem

fluentem in ſui ipſius naturam permutat:eſt autem vnicuiq; particulæ hinc eſſe, quod videlicet eſt non ſecundum humorum, qui ei inſunt, naturam, ſed ſecundum ſolidorum corporum ſubſtantiam, à quibus etiam contentis iam humoribus alteratio contingit. Verum ſi quidem hoc ita habet, continetur autẽ in teſtibus ſeminarius humor, ab huiuſmodi vtiq; corpus ipſorum nutritur: vnaquæq; autem particula ſibi familiariſſimum operatur alimentum: monſtratum porro eſt & arterias, & venas ſemen operari. Arterias autem, & venas ex ſemine genitas aſſeruit tum alibi, tum lib. de fœtus formatione, & lib. citato de ſemine cap. 5. & 10. vbi hæc habet. Principium autem plantatiuum omnium primum habet, quod non ex ſanguine, ſed ex ipſo ſemine arteriã, venam, & neruum, os item, & membranam producit. Et cap. 12. omne vero alterans in ſuam naturã ducit id, quod alteratur, quod ſane etiam apparet; album enim, & craſſum, & viſcoſum eſt ſemen aptum, vt arteriæ, & venæ nutriat corpus. Ex quibus firma manet noſtra cõcluſio eo vnumquodq; gingi, & nutriri, & conſequenter cum ſemẽ ſanguine nutriatur, eo vtiq; genitum eſſe. Cõfirmat id Gal. lib. 9. de vſu part. c. 4. & lib. 16. c. 10. & li. 14. c. 10. ſic inquiẽs. Cauſa verò gene-

generationis huius hæc eſt: ex ijs vaſis, quæ ad matrices accedunt, (quæ ad latera ipſarũ diſtribui diximus) quæ pars fertur deorſum, inuoluitur modo perſimili ijs vaſis, quæ in teſticulos maſculorum perueniunt, vena enim ſuperiacet, ſubiacet autem arteria vtraque flexus multos, numeroq; æquales efficientes inſtar capreolorum quorundam varie implexorum, quo implexu ſanguis, & ſpiritus, qui ad teſtes feruntur, diutiſſime coquuntur, clareq; cernas humorem, qui in primis flexibus habetur, adhuc ſanguinem, in ſequentibus deinceps magis, magiſq; albeſcere, quoad in omnium poſtremis totus albus omnino fuerit redditus, qui flexus poſtremi in teſtes terminantur: teſtes verò, cũ ſint laxi, & cauernoſi, humorem, qui in vaſis cœptus erat concoqui, excipientes & ipſi rurſus percoquunt perfectius quidem ad fœtus procreationem maſculorum teſtes, maiores cum ſint, & calidiores; ac tum propter interualli longitudinem, tum propter vaſorum cõcoquentiũ robur exactius iam elaboratum ſit id, quod in eos deſcendit: imperfectius autem teſtes fœminarum id efficiunt, vt qui humidiores ſint, ac frigidiores, minuſq; exacte coctum humorẽ excipiunt. Cur autem ſanguis cum in vaſis diutius moratur, albeſcat, ſi quis eorum meminerit, quę

in lib. de nat. facult. demonſtrauimus, eum ſpero facile inuenturum; demonſtrauimus enim in illis partem omnem alimentum ſibi ipſi aſſimilare. Quid igitur mirum eſt, ſi, cum tunicæ vaſorum ſint albæ, ſanguinem in formam ſibi ipſis ſimilem tranſmutent? An forte quæret aliquis, cur in nullo alio vaſe id accidere cernatur? Cui promptum eſt reſpondere, quod in nullo vaſe ſanguis ita diu moratur; neq; enim vlli alteri vaſi, nõ dico flexus tam multi inſunt alij alijs cumulati, ſed ne vnicus quidem omnino ineſt. Quod ſi moraretur diù, nec præter flueret, ac repente vacuaretur, liceret & in alijs quibuſdam animalis partibus ſuccum huiuſmodi reperire; quamquam & vaſis cuiusque humidum natiuum, à quo ipſorum tunicæ nutriuntur, eſt huiuſmodi. Quare nil mirandum eſt, ſi in prædictis flexibus ſanguine velut ſtagnante ſuccus ſpermaticus congeratur, quem cum teſtes exceperint, perfecte quidem in maſculis, imperfectius vero vero in fœminis conficiunt. Et Hip. lib. de genit. Genitura viri prouenit ab omni humido, quod in corpore exiſtit, vt quod robuſtiſſimum eſt, ſecernatur. Argumentum autem eius, quod robuſtiſſimum ſecernitur, hoc eſt, q̃ à Veneris vſu paucula adeo re emiſſa imbecilles reddimur. Ibidem. Porro

ro

ro geniturā dico à toto corpore ſecerni & à ſolidis,& à mollibus partibus,& ab humido omni in toto corpore. Auic. lib.3. fen.20. tract.1.c.1.Sublimis Deus creauit duos teſticulos,ſicut ſciuiſti,qui ſunt membra principalia,in quibus generatur ſperma ex humiditate delata ad eos in venis, quæ eſt quaſi ſuperfluitas cibi quarti in corpore toto, & eſt ſanguis magis digeſtus,& magis ſubtilis. Et hæc de his ſatis. Sed quia dictū eſt ſemen eſſe ſanguinem nutritioni ſuperuacuum,firmius id probandum eſt, ac de nutritutionis modo, & ſpeciebus aliqua dicenda.

DE NVTRITIONE. Cap. VI.

SEMEN eſſe ſuperfluum alimenti docent allata ex Auic. vltimo loco, & dicta ab Hip.lib.de alimento,dum inquit, lac, & ſanguis alimenti ſunt redundantia, vbi per ſanguinem ipſum ſemen potiſſimum intelligere viſus eſt, cum ſemen perfectiſſimus ſanguis ſit, ſanguiſq; ipſe ſit potentia ſemen, & ſemen in ſanguinis ipſius vaſis generetur. Quod etiam experientia certiſſimum eſt; nam videmus pueros nondum puberes abſq; ſemine viuere, & probe nutriri, prout etiam veriſimile eſt ſenes aliquos

quos ſemen non emittere ex eius penuria; & nihilominus nutrimentum perfectè ſumunt: iuuenes autem, & in florenti ætate conſtituti licèt ſemen aliquando temperate emittant, nutrimentum ſibi non adimũt, immo ipſa natura per ſe aliquando in ſomno emittit ad ſe exonerandũ, ex quo iuuamentum aduenit, & Hip. dicebat ſeminis emiſſionem morbis à pituita vtilem eſſe: modum autem tradendo dixit ſomnum, cibum, Venerem, ac exercitia mediocria eſſe debere. His igitur miſſis de nutritione agendum eſt, quam definientes ad clariorẽ doctrinam dicimus cum Gal lib. 1. de nat. facult. cap. 11. eſſe eius, quod nutrit ad id, quod nutritur, aſſimiliationem. Quam definitionem etiam cap. 8. indicauit his verbis. In nutritione vero ei, quod iam factum eſt, id, quod affluit, efficitur ſimile. Et lib. 3. de temperament. cap. 1. finem verſus. Neq; enim aliud nutritio eſt, quam aſſimilatio perfecta. Et lib. 1 de nat. facult. cap. 5. Ergo naturæ opera, dum adhuc in vtero geſtatur, ac fingitur animal, omnes ſunt corporis particulæ: edito vero in lucem commune in omnibus naturæ opus eſt earum ad perfectam magnitudinem perductio, poſtea vero etiam vt omnes, quantum fieri poteſt, perdurent, molitio. Actiones, quæ

tribus

tribus his operibus reſpondent, neceſſario tres ſunt, vna ſcilicet cuique generatio, auctio, nutritio: verum generatio ſimplex quædam actio naturæ non eſt, ſed ex alteratione, formationeque compoſita, vt enim os fiat, item neruus, vena, & reliquarum quælibet, alteratam eſſe oportet ſubiectam, vnde animal fit, ſubſtantiam: vt ve ro congruentem figuram, & poſituram, & caua quædam, & vel enata, vel adnata, aliaq; id genus habeat, effingi eam oportet, quæ alteratur, materiam, quam vtiq; animalis materiam appellans veluti nauis ligna, & imaginis ceram, minimè errabis. Auctio vero ſolidorum animalis partium, quarum eſſe formationem iam diximus, augmentum, ampliatioq; in longum, latum, & profundum eſt. Nutritio autem iiſdem partibus appoſitio quædam eſt, ſed ſine diſtentione. Et cap. 6. de generatione animalium verba faciens alteratricem, ac formatricem proponit tanquam eius adiutrices. Et cap. 7. de auctrice loquens eam vna cum facultate nutritiua in his, quæ in vtero geſtantur, adeſſe affirmat tanquam alteratricis, & formatricis miniſtras: poſt quam vero perfectam magnitudinem animal adeptũ eſt, toto poſt editionem tempore vſq; ad ætatis vigorem auctricem dominari, & auxiliatrices, ac ve-

luti miniſtras eius ait eſſe alteratricem, ac nutritiuam, eiusq; proprium eſſe in omnem partem proferre, quæ iam nata, genitavè ſunt, ſicq; ſolidas corporis particulas appellat:, auctricisq; modum enarrans veſicas ſuum extentas, & inflatas proponit, quæ quantum augentur, tantum etiam extendi, & tenuiores reddi affirmat: quod ſi eam tenuitatem ſarcire poſſemus, quemadmodum natura facit alimento, hæc vera auctio dici poſſet; naturam enim ſolam continuitate ſeruata, minimeq; diuulſam in tres dimenſiones continuum extendere poſſe aſſeruit. Et cap. 8. eiuſdem hæc habet. Quod enim in nutrimenti affluit ſpecie, quum id corporis eius, quod nutritur, omni parti affigitur; actio ipſa nutritio eſt: cauſa vero huius ipſa facultas. Et alteratio quidem hic quoq; ipſius actionis genus eſt, non tamen talis, qualis erat in generatione, ibi namque, quod os non erat, poſtea factum eſt os: in nutritione vero ei, quod iam factum eſt, id, quod affluit, efficitur ſimile: ita non immerito alterationem illam nominamus generationem, hanc aſſimilationem. Et paulo poſt. Quippe ſumma rei ſic habet. Generatio, auctio, & nutritio prima naturæ opera, ac veluti capita ſunt. Itaque etiam effectrices horum facultates primæ, principesque tres ſunt.

ſunt. Deſiderant tamen (vt iam dictum eſt) tum ipſarum inter ſe, tum aliorum miniſterium. Ac quæ quidem generatrix, auctrixq; deſiderent, dictum iam eſt. Quæ autem facultas nutrix requirat, nunc dicetur, videor enim monſtraturus tum inſtrumenta ipſa, quæ ad naturalem nutrimenti molitionem comparata ſunt, tum eorum facultates propræter hanc eſſe cõditas. Et infra facultatis huius actionem demonſtrans ait eam eſſe, aſſimilationem, cumq; ipſa fieri nequeat, niſi aliqua ſit ſocietas, ac qualitatum conformitas, idcirco nec quodcunque animal quocunq; cibo vti, nec quibus nutriri poteſt, protinus nutriri, huiusque neceſſitatis cauſa pluribus alterationis nutrimenti inſtrumentis cuiq; animali opus eſſe, vtq; album nigrum reddatur, vel nigrum album, omnes, quę in medio horum ſunt, alterationes requiri, quodq; molliſſimum eſt, non poſſe vno ſtatim impetu durum fieri, neq quod duriſſimum, illico molliſſimum. Et paulo poſt. Quippe caro ex ſanguine non magno negocio fit; ſi enim eatenus naturæ ope craſſeſcat, vt conſtantem ſubſtantiam habeat, nec etiam ſit fluuida, prima, & recens concreta caro iam exiſtet. Et inferius alteram inſtrumentorum neceſſitatem aſſignans, nempe excrementorum naturam, ſic ſubdit.

ſubdit. Altera eſt excrementorum natura; ſicuti enim herbis nutriri planè non poſſumus, tametſi pecudes ijs nutriuntur, ita radicula quidem nutrimur, ſed non ita vt carne; hanc enim totam natura noſtra propemodum vincit, mutatq;, & alterat, ac ſanguinem ſalubrem ex ea creat: in radicula vero, quod quidem cōueniens eſt, & tranſmutari poteſt, quamquam ægrè planè, nec ſine plurima concoctione, omnino id minimum eſt, ſed tota paulò minus excrementoſa eſt, & pertranſit quidem concoctionis inſtrumenta: cæterum exiguus ex ea in venas aſſumitur ſanguis, nec is in totum vtilis. Quare alteram rurſus ſecretionem eorum, quæ in venis ſunt, excrementorum deſiderauit natura, quibus etiam alijs opus erat vijs, per quas ducerentur ad exitum, quo ſcilicet ſalubribus ſuccis minimè officerent: præterea quibus exciperentur veluti receptaculis quibuſdam, in quibus poſt quam ſatis magna collecta vis eſſet; mox excerneretur. Ergo hoc ſecundum particularum in corpore genus, quod nutrimenti excrementis ſit deſtinatum, inuenimus. Eſt etiam aliud tertium genus pro bonis ſuccis vndiq; per totum corpus deferendis inſtitutum, eſtq; id veluti viæ quędam numeroſæ per totum corpus ſectæ; vnus namque

omnibus

omnibus cibis introitus per os eſt : at non vnum eſt, quod nutritur, ſed plurima, ac plurimum inter ſe diſtantia. Ergo admirationi eſſe vnquam non debebit inſtrumentorum numerus, quæ nutritionis gratia natura condidit; alia namq; idoneum cuique particulæ nutrimentum alterando præparant, alia ſeparant excrementa, alia tranſmittunt, alia ſuſcipiunt, alia expellunt, alia ſalubrium ſuccorum in omnem partem ferendorum ſunt viæ. Et in princ. ſeq. cap. aſſerit vnum finem tot inſtrumentorum ſolam eſſe nutritionem. Subdens. Oratio vero eius nominis eſt ad id, quod nutritur, eius, quod nutrit, aſſimilatio: porro hæc vt fiat, agglutinantia, ſiuè adhærentia præcedat, oportet: ſicut etiam vt illa fiat, appoſitio; poſtquam enim ſuccus is, qui omnem animalis particulam nutriturus eſt, à vaſis excidit, in totam eam primum diſpergitur, mox adiungitur, deinde agglutinatur, demũ aſſimilatur. Et de his plura Auic. lib 1. fen. 1. doctr. 6. & Hip. de alimento, vbi tres alimẽtorum ſpecies proponit, vnum quod nutrit, aliud, quod quaſi eſt nutriens, aliud demum, quod nutriturum eſt, quam homonimiam Gal. explicans ad finem lib. 1. de ſan. tuen. ſic inquit. Quippe ei, quod prima ſignificatione alimentum, ſiuè nutritio eſt, ſubſtan-

ſubſtantiæ ipſius fluores rectè opponas: ei vero, quod in ſecunda ſignificatione accipitur, tum hemorragiam, tum vno verbo omnē ſanguinis inanitionem: ei vero, quod tertio ſignificato dicitur, vomitum, & lienteriam. Et clarius cap. 11. lib. 1. de nat. facult. eundem Hip. locum explicans. Ac propriè quidem nutrimentum eſt, quod nutrit: quod verò veluti nutriens eſt, nondum tamen nutriuit, eiuſmodi ſcilicet eſt; quod agglutinatur, vel quod apponitur, id proprie nutrimentum non eſt, ſed æquiuocè: quod autem in venis eſt, atque hoc etiam magis quod in ventriculo eſt, id tanquam nutrimentum aliquando ſit, ſi probe concoctum fuerit, nutrimentum appellatur. Ad hunc modum edulia quæq; nutrimenta vocamus, non vtique quod iam animal nutriant, neq; quod talia ſint, qualia ſunt, quæ nutriunt, ſed quod nutritura ſint, ſi probe ſint concocta; id namq; eſt, quod ab Hip. dicitur. Nutrimentum, quod nutrit, Nutrimentum, quod nutriturum eſt; ſiquidem quod iam aſſimilatur, nutrimentum appellauit, quod vero tale eſt, quale illud nempè appoſitum, agglutinatum vè genus, veluti nutrimentum. Reliquum omne, ſiue id in venis continetur, ſeu ventre, futurum nutrimentum. His ergo ita firmitatis expli-

plicandum videtur, quod alimentum intelligamus, cum dicimus ſemẽ eſſe ſanguinem nutritioni ſuperuacaneum. Cui obiectioni reſpondentes aſſerimus nos intelligere per ea verba ſanguinem magis pinguem, ac ſeminis naturæ magis familiarem, non enim intelligimus humiditates alimentales, vel roridas, ſiuè appoſitas, vel agglutinatas; hæc enim coitus tempore nequeunt regredi intra vaſſa, quod de aſſimilatis minus dicẽdũ eſt, præſertim cum in ſeminarijs vaſis circa principia ſanguis euidenter appareat poſtea in ſemen mutandum, in immodicoq; coitu etiam ſanguis eiaculari videatur. Quę conſona ſunt Gal. tum alibi, tum præſertim lib. 1. de ſem. cap. 12. vbi arterias, & venas ſemen ex ſanguine operari manifeſte affirmat. Subſequitur modo, vt de menſtruo ſanguine verba faciamus, vſumque eius ad fœtum, totamque muliebrem naturam explicemus.

DE SANGVINE MENSTRVO, Cap. VII.

QVANTVS quidem ſit menſtrui ſanguinis vſus tum ad procreationẽ, tum ad augmentum ſimul, & fœtus nutritionem, luce meridiana clarius eſt,

&

& Hip.quidem lib.de nat.fœtus hanc veri-
tatem confirmans ſic argumentatus eſt.
Atq; hæc mihi de hoc dicta ſunt. Quod ge-
nitura in pellicula eſt, & ſpiritum habet in-
tro, & foras, & augeſcit à matre ſanguine
in vterum deſcendente; menſes enim non
prodeunt, vbi mulier conceperit intra ſe
ipſam, ſi puer ſanus fuerit, & permanere de-
bet, niſi in quibuſdam primo menſe modi-
cam ſui indicationem faciant: verum ſan-
guis à toto corpore mulieris deſcendens in
orbem forinſecus pelliculam circumſtat, ſi-
mulque cum ſpiritu ſanguis intra per pelli-
culam trahitur, qua parte perforata eſt, & à
genitura diſtat, congelaturq;, & futuro ani-
mali augmentum præbet: cum autem tem-
pus acceſſerit, rurſus aliæ pelliculæ intra
primam pelliculam tenues, & multæ circũ-
tenduntur eo modo, quo prima pellicula
facta fuit: ſunt autem & hæ ab vmbilico
extentæ, & inter ſe mutua ligamenta habẽt.
Cum verò iam hoc factum eſt, ex deſcen-
dente a matre ſanguine, & congelato caro
fit: iuxta mediam autem carnem vmbilicus
diſtat, per quem ſpirat, & alimentum, ac in-
crementum capit: at vero mulier cum vte-
rum gerit, à menſibus non prodeuntibus
propterea non dolet, quod ſangius non cõ-
turbatur aceruatim abire ſolitus ſingulis

menſibus, ſed procedit ſenſim, & modicè citra dolorem in vterum ipſum, & quod ineſt intus in vtero, augeſcit: ſingulis autem diebus ea gratia procedit, & non ſemel per menſem, quod genitura in vtero exiſtens ſemper à corpore trahit, prout vires, tum ipſa, tum ſpiratio habet: & primum quidem modica ſpiratio fit, & ſanguis modicus à matre procedit, cum vero ſpiratio amplior redditur, magis ſanguinem trahit, & vberior is in vterum deſcendit; atqui vterum non geſtantibus, vbi menſes non prodierint, propterea dolor oboritur. Primum quidem ſanguis in corpore ſingulis menſibus turbatur ab huiuſmodi neceſſitate, quod menſis à menſe multum differt, & ſecundum frigiditatem, & caliditatem, atq; hoc percipit mulieris corpus; humidius enim eſt, quàm virile: vbi autem turbatus eſt ſanguis, & venas impleuit, ab ipſo deſcendit, qualis ab initio naturæ fuit. Quare ſi quidem euacuatur à ſanguine mulier, in ventre concipit, ſi vero repleta fuerit, non; nam vacuis vteris, & venis à ſanguine factis mulieres in ſe fœtus concipiunt; etenim poſt menſtrui ſanguinis purgationem mulieres in ventre concipiunt: cauſa iam dicta eſt: quando autem conturbatus, & ſecretus ſanguis foras non procedit, ſed in vteros, vteri autem nō

hiauerint,

hiauerint, tunc ſanè à ſanguine diutius intra morante vteri caleſcentes reliquo corpori calorem tranſmittunt, quandoq; etiam ſanguinem in venas corporis diſtribuunt, vt & venæ repletæ doleant, & tumores laxos producant: quandoq; etiam periculum eſt, ne claudicatio ex hoc inducatur: aliquando & veſicam obſident, præmuntq; ac claudũt veſicam, & vrinæ ſtillicidium inducunt: aliquando pleni quoque ſanguinis exiſtentes vteri procidunt aut ad coxendices, aut ad lumbos, & dolorem exhibent: aliquando vbi ſanguis quinq; aut ſex menſes in vteris moram traxit, putrefactus pus fit, & quibuſdam pus per pudendum exit, ſed & alia multa huiuſcemodi mala mulieribus fiunt, vbi lunares purgationes non procedunt. Sed quid opus eſt ea hic recenſere? referentur enim in muliebribus morbis. Verũ iam repetito eo, quod reliqui, ſermonem abſoluam. Cum autem generatur caro, tunc pelliculæ augeſcente in vtero ſanguine etiam ipſæ augentur, ac ſinuantur, & præſertim externæ, & ſanguis à matre deſcendens, quem ſanè caro ſpirans attraxerit, in incrementum cedit, & ſi vtilis non ſit, in ſinus pelliculárum ſecernitur: & vbi ſinuatæ factæ fuerint ac ſanguinem ſuſceperint, tunc iam ſecunda appellatur. Et tantum de hoc

mihi

mihi dictum ſit. Cæterum caro augeſcens à ſpiritu articulatur, & abit in hac vnumquodq; ſimile ad ſimile, denſum ad dēſum, rarum ad rarum, humidum ad humidum, & vnumquodq; in propriam regionem abit iuxta cognationem ad id, à quo genitū eſt, & quæcunq; à denſis genita ſunt, denſa ſunt, & quæcunq; ab humidis, humida, & reliqua iuxta eandem rationem fiunt in incremento, & oſſa dureſcunt à calore conglutinata: & ſanè ramificantur velut arbor, & tum interna, tum externa corporis adhuc melius articulantur, ipſumq; caput diſtantiam acquirit ab humeris, & brachia, ac cubiti à lateribus: & crura inter ſe diſparantur, & nerui exiliunt circum naturas articulorum: & os per ſe diducitur, & naſus, & aures eminent in carne, ac perforantur, & oculi implentur humore puro, & pudendum conſpicuum fit, vtrum tandem ſit: & viſcera coarticulantur: & iam etiam ſupernis partibus ſpirationem facit tum ore, tum naribus: & venter inflatur, & inteſtina inflata ſuperne per vmbilicum ſpiritum aſſumunt, ac diſperdunt: & in podicem via fit à ventre, ac inteſtinis foras, & in veſicam via foras. Atq; hæc omnia à ſpiritu coarticulantur, nam inflata diſparantur omnia iuxta cognationem ſuam. Etenim ſi velis

D fiſtulam

fiſtulam veſicæ alligare, & per fiſtulam immittere in veſicam terram, & arenam, & plumbi tenuia ramenta, inſuperq; infuſa aqua in fiſtulam inflare, primum quidem illa aquæ permiſcentur, deinde verò temporis progreſſu inflata ſecedent, & abibit plũbum ad plumbum, arena ad arenam, terra ad terram. Et ſi quis ipſa areſieri permittat, & diffracta veſica contempletur, inueniet ſimile ad ſimile progreſſum eſſe. Sic ſane etiam genitura, & caro coarticulatur, & vnumquodque in ipſa ſimile ad ſimile abit. Et paulo poſt. Et factus iam eſt puer, & ad hoc peruenit fœmella quidem in quadraginta, & duobus diebus, vt longiſſimè primam coagmentationem, & coarticulationem accipiens. Maſculus verò vt longiſſimè in triginta diebus; vt plurimum enim hoc tempore, aut paulò breuiore, aut longiore articulatio ipſis contingit; nam & purgatio fit à partu vt plurimum in fœmellis quidem diebus quadraginta, & duobus: atq; hæc tardiſſima eſt, & perfecta. Vacauerit autem periculo, & ſi in viginti quinq; diebus purgetur. In maſculo verò purgatio fit diebus triginta: atq; hæc tardiſſima eſt, & perfecta: citra tamen periculum fuerit, etiã ſi in viginti diebus mulier purgetur. Poſtremo autem tempore purgatio quam pau-

ciſſima

ciſſima procedit,& in iuniorib⁹paucioribus diebus purgantur, in ſenioribus verò pluribus. Cæterum maxime laborant,ac dolent in partu, & partus purgationibus mulieres primiparæ; & quæ rarius pariunt,magis dolent,quàm quæ ſæpius. Atqui purgationes à partu mulieribus ea gratia fiunt,quod primo tempore vſq; ad dies quadraginta duos in fœmella, in maſculo verò ad dies triginta pauciſſimus ſanguis in augmentum pueri deſcendit: ab hoc autem tempore copioſior,donec pariat. Oportet itaq; purgationem reddi in toto puerperij tempore,&foras exire,ac reſpondere pro dierum ratione, ac proportione. Principium autem huiuſmodi purgationis tale mulieri fit. Dum ex partu laborat, conturbatur ſanguis mulieri, & à forti pueri motu vehementer caleſcit: conturbatus autem primus quidem foras prodit, deinde puer,poſt puerum verò mucus craſſus ſanguinolentus, & deductio cõtingit huic quemadmodum aquæ effuſæ in menſa: poſtea poſt illum per omnes dies purgatio procedit vſque ad prædictum tẽpus copia Atticæ heminæ vnius,& dimidię primum, & paulo plus, minusvè pro eius temporis ratione, donec deſinat: procedit autem ſanguis velut à victima,ſi ſana eſt, & ſana futura eſt mulier,& ſtatim congelatur.

Id vero hoc modo habet : ſi mulier vterum geſtans morbum habuerit non cognatum, in puerpuerij purgatione perit : ſi vero non purgetur in prioribus diebus vterum gerens ſtatim ſana exiſtens, aut etiam non, commoueatur autem ipſa purgatio ſiuè à pharmacis, ſiue ſua ſponte de repente, iuxta dierum rationem procedet, quibus non vna vice procedit ; ſi enim non purgetur mulier à purgationibus partus, morbus magnus ipſā corripiet, & periculum vitę incurret, niſi cito curetur, & quis conuenientem ipſi purgationem inducat. Et inferius. Dico enim talionem rependi, quod geniturę in vtero exiſtenti pauciſſimus ſanguis à matre in vterum venit, ſi fœmineam genituram habeat, in quadraginta, & duobus diebus; in his enim coarticulantur puerorum membra, ab hoc vero tempore copioſior ſanguis venit; & in maſculo rurſum iuxta rationem dierum triginta. Quod verò hæc vera ſint, & alterum teſtimonium adeſt hoc modo habens. Primis diebus, vbi genitura in vteros illapſa eſt, pauciſſimus ſanguis à muliere in vteros venit, deinde copioſior; ſi enim aceruatim, & multus ſemel veniret, genitura ſpirationem habere non poſſet, ſed ſanguine multo accedente ſuffocaretur: rependitur autem in purgatione vice verſa;

purgatio enim puerperij in primis diebus plurima procedit, deinde paucior, donec deſinat: multæ autem mulieres puerum maſculum iam perdiderunt paulo ante trigeſimum diem, & inarticulatus apparuit: qu vero poſterius perditi ſunt, aut ſimul cum trigeſimo die, omnes articulati apparuerũt: In fœmella itidem iuxta rationem quadraginta, & duorum dierum habent; nam vbi his abſolutis perditur, articulatio membrorum apparet, ſiue autem prius, ſiue poſterius perdetur puer, iuxta hanc rationem apparet; nam & ſecundum rationem, & neceſſitatem articulatio contingit in fœmella in diebus quadraginta, & duobus, in maſculo in triginta, teſtimoniũ enim præbẽt abortus puerorum, & à partu purgationes. Quod autem fœmella poſterius conformatur, & coarticulatur, cauſa hæc eſt, quod genitura fœminea debilior eſt, ac humidior, quàm maſcula, & iuxta hanc rationem neceſſe eſt poſterius conformari fœmellam, quàm maſculum, atq; ea gratia etiam purgatio diuturnior eſt in fœmella, quàm maſculo. His aſſentiri videtur. Auic. lib. 3. fen. 21. tract. 1. c. 2. de generatione embrionis ſic inquiens. Et ſcias, quod ſanguis menſtruus in prægnante diuiditur in tres partes, ſcilicet partem, quæ conuertitur in nutrimentum, &

partem, quæ eleuatur ad mammillas, & partem, quæ eſt ſuperfluitas ſtans, vſquequo veniat hora partus, & expellatur. Ibidem. Et ſpatium quidem ſpumæ eſt ſex dierum, aut ſeptem, & in his diebus operatur informatiua in embrione non ſugendo nutrimentum ex matrice, & poſt illud ſugit. Et verſ. fin. cap. Et cũ permiſcentur duo ſpermata, fit ebullitio prædicta, & creatur veſicatio, & panniculus primus, & ſuſpenditur ſperma totum tunc cum additamentis orificiorum venarum ſecundinæ, & inuenit illic, quod alit ipſum, dum permanet ſperma, vſquequo ſumat ex ſanguine menſtruo per vmbilicum quantitatem ſibi ſufficientem ex foraminibus, ſeu orificijs venarum, cum quibus continuatur. Quodque menſtruus ſanguis fœtui alimentum præſtet teſtatur, etiam Gal. lib. de vteri diſſect. his verbis. Secunda ipſa vaſa multa ſunt tum venæ, tum arteriæ ex propinquo inter ſe ſitæ, ſpatia vero intermedia membranis explentur: ex membranis vero altera quidem totum fœtum amplectitur, altera autem incumbit duplicata circa eminentes ipſius partes, caput videlicet, & clunes, ac pedes; ſuntq; nomina ipſius; altera enim angina, altera farciminalis appellatur, foramini enim ſimilis eſt, vnde à figuræ ſimilitudine nomen habet:

bet: Ambæ autem albæ ſunt, ac tenues ferme ad aranei telæ formam. Adnaſcitur porrò ſecunda vtero hoc modo. Vaſorum vteri oſcula, quæ intra ipſum perueniunt, & per quæ mulieri menſes purgantur, aperiuntur, quando mulier eſt conceptura: contingit autem hoc tempus incipientibus fluere menſtruis purgationibus, aut deſinentibus: aperiuntur equidem & reliquo omni purgationis tempore hæc vaſa, ſed non concipit intra ſe tunc mulier; neq; enim poteſt in vtero ſemen manere, vt pote quod multitudine influentis ſanguinis eluitur: quando vero ceſſant menſes, & quum incipiunt aperta ſunt vaſa, & purgatio ipſa lunaris neq; multa, neq; coaceruatim effunditur, ſed modica, & paulatim ſanguineo humore velut exudante: quare ob aſpredinem quidem ſemen vtero adhæret, ſufficiens autem alimentum habet paucitatem ſanguinis in ipſum confluentis; prius quàm enim fluere cæperint menſes, mulier non cõcipiet, propterea quod nutriente priuatum ſit ipſum ſemen, & vnde adhęreat, non habet. Læuis enim tunc vterus eſt ob concluſionem vaſorum, quare defluit ſemen, & tunc tunica ipſius non vnitur, aptius enim ad conceptionem aſperum, quàm læue. Et lib. 2. de ſem. Nihil vero refert in præ-

ſens materiam,aut ſubſtantiam vocare; manifeſtum eſt enim, quod cum ſubſtantia multipliciter dicatur, vnum nunc ipſius ſignificatũ materiam vſurpamus. At vero in animalibus ſubiecta ad generationem ipſorum ſubſtantia menſtruum ſolum eſt, velut Ariſt. dixit,principium vero motus ei ex ſemine accedit. Et lib.1.de ſem.cap.9. Qualis enim eſt radicatio plantis deorſum,& infra terram,talis eſt fœtibus inſitio arteriarũ, & venarum ſecundæ in vterum: qualis vero ſurſum vergens truncus in plantis, tales ſunt in fœtibus a tribus principijs exortus. Rurſus quemadmodum plantæ duplicem ex ſeminibus habuerit exortum,ſurſum quidem truncum, & ramos vſque ad extrema germina producentes, deorſum uero radicationem diſtribuentes: ſic & in fœtibus multifidæ ſunt arteriæ,& uenæ uelut trunci quidem in totum fœtum, uelut radices uero in uterum deſinentes. Et infra. Opus namq; habet plantæ ſemen terra, ut ex ipſa nutriatur, & augeſcat, indiget & noſtrum ſemen utero ob eaſdem cauſas: radices ſibi ipſi generat planta, quibus trahat alimentũ ex terra,ſecunda itidem uaſa fœtuum radices. Et cap.8. Semen equidem trahit ad ſe per uaſa ad uterum pertingẽtia ſanguinem & ſpiritum utrumq; ad ſuam propriam cauitatem

uitatem. Et lib. eod. paulò ſupra. Nam vera acetabula fines ſunt vaſorum, per quos in ſingulis menſibus ſuperfluum ſanguinis ex toto corpore in vterum deriuatur; quodcunque autem horum oſculorum ſemen contigerit, id ipſum ſibi in alimentum attrahit nimirum membrana ad ſe ſe perforata, vt pote quæ mollis adhuc, & recens coacta exiſtit, deinde temporis progreſſu, velut antea dixi, vas fit abſolute cõcreſcens, ſimulq; vteri vaſi ſimile redditur. In promptu porro eſt tibi circa prægnantium animalium diſſectiones videre externam fœtuum membranam vnà cum arterijs, & venis; appellatur autem membrana hæc externa ſecunda, quam pertranſeunt arteriæ, & venæ materias ex vtero ad fœtum ducentes. Et c. 6. de ſemine loquens. Habuit præterea & materias familiares, quas attracturus erat ab vtero, ſanguinem videlicet, & ſpiritum per oſcula, quibus eſt connexum, & ſane hæc ſtatim à principio per ambientem membranam nondum duram factam attraxit: ſimul igitur ferebantur, quæ ab vtero ex vaſis attrahuntur, & membrana ſemper magis fiebat dura, atq; ad finem quidem penitus iam dura erat cohærens, totũq; fœtum orbiculatim amplectens: ſolæ vero illæ partes perforatæ erant, per quas materiæ ferebantur

bantur. Subdens. Perfluit autem ſemper alimentum non ſemper pari copia, propterea quod neque ipſum, quod alitur ſemper æqualem magnitudinem ſeruat, ſed creſcit aſſidue augeſcens, vt neceſſarium ſit iuxta proportionem augmenti illius materiarum copiam influere, ſanguinem quidem ex venis, ſpiritum vero cum ſanguine tenuium partiũ modico, & calido per arterias; quin & temporis progreſſu neceſſarium eſt hanc viam in fiſtulę modum cauari, & perfectam abſolui, ac vas fieri. Hip. lib. 1. de morb. mulier. Ferme autem omnibus multa curatio eadem eſt excepta mẽſium detractione; nam quibus nihil prodit, hos detrahere oportet, immo quicquid in menſibus mali ineſt, hæc auferre opportet, cum videlicet pituitoſi ſint, & pelliculoſi, & ſanioſi, & tenues, aut albi, & grumoſi, aut caliginoſi, aut acres, ſalſi, turbati, putulenti, hę omnes cauſæ tollendæ, prohibent enim in ventre conceptum, &c. Et lib. eodem infra. Si vero ex partu non fuerit purgata, venter intumeſcit, & ſplen, ex crura, & febris habet, & rigor corripit, & dolores proſiliunt ad lumbos, aliquando etiam ad viſcera, & perfrigeratur, & febris habet, & pulſus debiles ſunt, & aliquando acuti, & alias attoluntur, alias deficiunt: hæc patiuntur incipiente morbo,

& ſic

& ſic habet: temporis autem progreſſu cauæ faciei, partes rubeſcunt. Et circa initium lib. Quibuſdam mulieribus mēſes bimeſtres in vteris exiſtentes multi ad pulmonē procedunt: & vbi recepti fuerint, omnia patiuntur, quæ in tabe dicta ſunt, & non eſt poſſibile ipſam ſupereſſe, &c. De quibus plura videre poterit ſtudoſius lector lib. cit. vbi multa Hip. Et 5. aphor. text.66. ſic inquit. Si mulieri ceſſent purgationes, neque febris, neq; rigor ſuperueniat, & faſtidia cibi incidant, iudica ipſam in vtero habere: & 60. Si mulieri vtero gerenti purgationes eant, impoſſibilem eſt fœtum eſſe ſanum. Et 36. Mulieri menſes decolores, nec per idem ſemper tempus venientes purgationē indicant eſſe neceſſariam. Et tex.28. Muliebria ſuffitus ducit aromatum, ſæpius verò & ad alia vtilis eſſet, niſi capitis faceret grauitatem. Et 57. Menſtrua ſi plura fiant, accidunt morbi, & ſi nō fiant, ex vtero morbi contingunt. 50. Mulieri ſi velis menſtrua cohibere, cucurbitulam quam maximam ad mammas appone. 56. In fluxu muliebri ſi conuulſio, aut animi defectus aduenerit, malum. 39. Si mulier, quæ neq; grauida eſt, neq; peperit, lac habet, huic menſtrua defecerūt. 33. Menſtruis deficientibus ſanguis ex naribus fluens bonum. Et lib. 6. aphor. tex. 29. Mulier

Mulier podagra non laborat,niſi menſtrua ei deficiant. Et lib.5. tex.32. Mulieri ſanguinem euomenti menſtruis erumpentibus ſolutio morbi fit.Atq; hæc de his ſatis,conſequens eſt, vt de fętus ſitu verba faciamus.

DE SITV FOETVS. Cap. VIII.

HIPPOCRATES quidem de fętus nautra; & ſitu ſiclocutus eſt lib. de natura fœtus. Cæterum puer in vtero exiſtens manus apud genas habet, caput autem prope pedes: & non datur probe, ac certo cognoſcere, etiam ſi puerum in vtero videas,vtrum caput ſurſum habeat,an deorſum: verum ex vmbilico pelliculæ tentæ ſunt ipſum continentes. Et Auic.lib.3.fen. 21.tract.1.c.2. Et egreſſio quidem fœtus nõ completur nisi per ſciſſionem panniculorum humidorum, & effuſionem humiditatum eorum facientium ipſum lubricari: & quandoq; conuertitur ſuper caput ſuum in partu naturali, vt ſit facilioris ſeparationis: partus vero ſuper pedes vtroſq; propter debilitatem eius, qui naſcitur,qui non potuit ſe conuerti, & eſt timoratum; non enim viuit ſecundum plurimum; & fœtus quidem ante motum ſuum ad exitum eſt ſubſtentatus

tus cum facie ſua, & naſo ipſius inter ambo genua, & oculis ſupra ea ambo,& colligit ea ambo ad anteriorem partem ſui,& eſt inclinatum collum eius:& facies eius declinat ad dorſum matris eius defendendo cor: & hæc quidem ſituatio conuenientior eſt ad conuerſionem faciendam, licet quidam dixerunt, quod faciei fœtus fœminei ſituatio eſt ſecundum contrarium huius ſituationis, & quod hæc ſituatio non eſt niſi maſculi: & adiuuant ad conuerſionem grauitas ſuperiorum fœtus, & magnitudo capitis eius proprie: & quando ſeparatur,aperitur matrix apertione tali,cuius ſimilem efficere non valet in alia hora: & neceſſarium eſt, vt ſeparentur quædam iuncturæ, & ſuſtententur iudicio Dei excelſi. Et paulo infra. Comprehenſio igitur, ſeu concluſio huius eſt, quod cauſa partus fœtus naturalis eſt, quod ipſe indiget aere plurimo,& cibo plurimo, cum excitantur virtutes animæ eius quærentes latitudinem ſpatioſitatis, & attractionem aeris copioſam, & cibum abundantem: & ad fugiendum à ſtrictura, & à penuria attractionis aeris copioſi, & paucitate cibi. Cum autem naſcitur fœtus, non apprehenduntur ab eo ſomnus,& expergefactio. Cum ergo apprehenduntur ab eo, ridet poſt quadraginta dies. Et idem Hip.

ſupra

ſupra citatus lib. de nat. pueri. Vberius itaq; præſente alimentum puer quærens calcitrando pelliculas dirumpit, & à vinculo exolutus ſimul foras prodit, atq; hæc vt longiſſimè in decem menſibus. Et infra. Et quæ quidem paucius alimētum pueris præbent, citius pariunt: quæ vero vberius, poſterius: atque hæc mihi de hoc dicta ſunt. Porro diruptis pelliculis ſi pueri momētum in caput inclinatum prædominabitur, mulier facile parit: ſi autem obliquus, aut in pedes procedet (contingit enim hoc ſæpe) ſi momentum huc inclinarit ſiue præ vterorum ſpacioſitate, ſiuè ſi mater in labore ex partu primum non quieuit, & ſi ſic procedet, mulier difficulter pariet. Multæ autem vel ipſæ perierunt, vel puer, & ſimul matres vna cum fœtibus. Cæterum ex parientibus, ac puerperis maxime laborāt primiparæ propter in experiētias dolorum, & dolent quidem totum corpus, maxime vero lumbos, ac coxendices; nam coxendices ipſarum diſparantur: verum expertę iam partus minus primiparis dolent. Et de fœtus vario ſitu, & non naturali, varijsq; extrahendi modis videndus eſt Hip. lib. de fœtus exectione, vbi de his pluribus egit.

DE

DE LOCO FOETVS.
Cap. IX.

FOETVS locum eſſe ipſum vterum nulli dubium eſſe cenſeo, cum in eo ex ſemine genitus & nutriatur, & creſcat. Cum igitur locum pueri vterum firmauerimus, aliqua noſtro more ex optimorum ſcriptorum ſententia de vteri eſſentia, & natura dicenda ſunt, & primo ex Auic. lib. 3. fen. 21. tract. 1. cap. 1. Dico, quod inſtrumentum generationis mulieris eſt matrix, & eſt in radice creationis ſimilis inſtrumento generationis, quod eſt in viris, & eſt virga, & quæ cum ea ſunt: ſed vnum eorum eſt egrediens procedens ad exteriora, & alterum eſt diminutum, & retentum in interioribus, & eſt quaſi conuerſum inſtrumentum virorũ; eſt enim quaſi oſeũ ſiphac matricis, & quaſi virga collum matricis, & duo oua mulieris ſicut viris: verum ipſa in viris ſunt magna apparentia exterius elongata ad rotunditatem tendentia, & in mulieribus ſunt parua, rotunda, tendentia ad vehementiam compreſſionis latitudinalis, intrinſeca in ſpatio continente matricem, poſita in duobus lateribus eius in omni latere concauitatis eius, ſeu partis eius oppoſitæ gibboſitati

extitit

extitit vnum,& ſunt diſtincta, quorum vnicuiq; appropriatur panniculus, quæ ambo ciſtis vna non aggregat, ſed panniculus cuiusque amborum eſt neruoſus : & ſicut viri habent vaſa ſpermatis inter ouum, & euacuatorium radicis virgæ, ſimiliter & mulieres habent vaſa ſpermatis inter duos teſticulos, & inter id, quod expellit ad interiora matricis : uerum illa, quæ ſunt uirorum, incipiunt ab ouo, & eleuantur ad ſuperiora, & cadunt in foramina, ex quibus deſcendit coopertorium cuſtodita, & perfecta : deinde ſequuntur deſcendendo tortuoſa transuerſa habentia inuolutiones, in quibus completur digeſtio ſpermatis, donec redeat, & perueniat ad meatum, qui eſt in radice uirgæ à duobus lateribus : & in proximo eius illud, quod peruenit ad ipſum, etiam eſt extremitas colli ueſicæ, & eſt longum in uiris, & breue in mulieribus. In mulieribus uero extenduntur ex duobus ouis ad ambo ilia ſicut duo cornua arcuata incedentia, uel aſcendentia uerſus poros uritides; quorum duo extrema continuantur cum duobus inguinibus, & tenduntur ut chorda apud coitum, vt coæquent, uel diſponant collum matricis ad recipiendum ita, quod trahit ipſum ad duo latera, quare dilatatur, & aperitur, & deglutit ſperma, & ipſa ambo ſunt

breuiora,

breuiora, quàm longitudo ſibi ſimilis in viris,& diuerſificantur in hoc,quod vaſa ſpermatis in mulieribus continuantur cum duobus additamentis, quæ ſunt vt duo cornua quoddam oriens ex vno quoq; ouo, quod expellit ſperma ad vas, & nominantur duo expulſoria ſpermatis. Et non continuantur vaſa ſpermatis in mulieribus cum duobus ouis,niſi quoniam membra ſpermatis in mulieribus propinqua ſunt in lenitate duobus ouis, & non fuit neceſſarium indurare ea,& indurare punniculos amborum, quoniam ipſa ſunt in cauea, & non indigent proiectione longinqua: in viris vero non fuit bona continuatio eorum cum duobus ouis,& non permiſcentur eis ambobus;nam ſi fieret illud,noceret eis ambobus,cum tenderentur vt chorda propter duritiem amborum, immo poſitum eſt inter ambo medium, quod nominant endros: & peruenit ad expulſorium apud medicos ad interiora eius: & matrix quidem eſt membrum ad rotunditatem tendens neruoſum, quod extenditur,& dilatatur ſicut corrigia,& ſuper ipſam ſunt additamẽta plurima in modum anulorum: & ſperma mulieris peruenit ad expulſorium,quod eſt apud medicos expellens ſperma ad interiora matricis: & apud philoſophos mulier expellit ſemen ſuum

extra teſticulos apud foramen vrinæ, & ex ipſo impellitur ad interiora matricis. Et matrix quidem creata eſt habens venas plurimas ramificatas ex venis, quas diximus, vt ſit illic ſubſtentatio embrioris, & ſit ſuperfluitatibus menſtruis præcipitatio. Et ligatur matrix cum dorſo ligamentis fortibus pluribus, & ad partem vmbillici, & veſicæ, & oſſi lato, & eis, quæ ſunt ſupra ipſum, ſed ſunt laxa. Et de ligamentis eius ſunt quædam, quibus continuatur ex neruis, & venis prædictis in anatomia neruorum, & venarum, & facta eſt ſubſtantia neruoſa, vt extendatur plurimum apud comprehenſionem & vt congregetur ad quantitatem paruam apud partum. Et non completur eius concauitas niſi cum complemento augmenti, ſicut mammillarum quantitas non completur niſi cum complemento, quoniam ante illud eſt vana, & non eſt neceſſaria, & propter illud matrix in puellis eſt minor plurimum ea, quæ eſt in mulieribus, quæ genuerunt filios. Et habet in hominibus duas concauitates, & in alijs concauitates ſecũdũ numerũ papillarũ mammillarum. Et locus eius eſt poſt veſicam, & ſuperfluit ſuper eam deſuper, ſicut ſuperfluit veſica ſuper eam cum collo ipſius de ſubtus. Et in anterioribus ſunt inteſtina, vt ſit ei à duobus lateribus

ſubſten-

ſubſtentaculum, & ſtratus lenis, & ſit in tutela. Et non eſt intentio prima in hoc veniens ad matricem ipſam,immo ad embrionem. Et ipſa quidem occupat,quod eſt inter propinquitatem vmbilici vſq; ad poſtremum meatum vuluæ, & eſt eius collum, & longitudo eius æqualis in mulieribus eſt inter ſex digitos vſque ad vndecimũ, & quod eſt inter illud: & quandoq; abbreuiatur & prolongatur per vſum coitus, & dimiſſionem eius. Et quandoq; aſſimilatur quantitas eius figuræ quantitatis eius, qui conſuetus eſt eius concubitu, & appropinquat illi longitudo matricis ipſius,& quandoque tangit inteſtina ſuperiora. Et creata eſt matrix cum duabus tunicis, quarum intrinſeca propinquior eſt ad hoc, vt ſit venoſa, & aſperitas eius ſimiliter. Et orificia harum venarum,quæ penetrant,vel perforant in matrice, nominantur foramina matricis, & cum eis continuatur panniculus embrionis & ex eis fluit ſanguis menſtruus, & ex eis nutritur embrio. Et exterior harum duarum propinquior eſt ad hoc,vt ſit neruoſa: & vnaquæq; illarum tunicarum conſtringitur,& dilatatur cum præparatione ſuarum naturarum. Et tunica quidem extrinſeca pura eſt vna, & intrinſeca eſt ſicut diuiſa in duas diuiſiones, quaſi duo vicinantia, non

ſicut conſolidata ita, quod ſi excoriaretur tunica exterior ab vna earum duarum, excoriaretur quaſi à duabus matricibus eſſet collum vnum, non ſicut à matrice vna: & inueniuntur ſpecies villorum omnes in tunica intrinſeca & matrix præterea ingroſſatur,& inſpiſſatur, quaſi ipſa impinguetur, & illud eſt in hora menſtruorum, deinde cũ purgatur, extenuatur,& exiccatur, & ipſa iterum attenuatur cum magnitudine embrionis. Et eius dilatatio eſt ſecundum dilatationem corporis embrionis. Et cum coitur cum muliere, expellitur matrix ad os matricis quaſi procedens deſiderando attrahere ſperma per ſui naturam. Et cum dicitur matrix neruoſa, non intelligitur per illud, quod eius creatio ſit ex neruis cerebri, immo quod creatio ſit ex ſubſtantia ſimili neruis alba, priuata ſanguine, leni, extenſiua. Et non adueniunt ei ex cerebro niſi nerui pauci,quibus ſentit, & ſi eſſet vehementius neruoſa, vehementius communicaret cerebro. Et collum quidem matricis lacertoſæ carnis eſt, quaſi ipſum ſit cartilaginoſum, & quaſi ſit ruga ſuper rugam, cui addit pinguedo duritiem, & cartilaginoſitatem, & imprægnatio iterum in hora impregnationis. Et in eo eſt meatus oppoſitus ori matricis extrinſeco, ex quo deglutit

ſperma,

ſperma, & expellit menſtrua, & parit fœtū. Et fit in diſpoſitione conceptionis in ſummo conſtrictionis, quam fortaſſe non ingreditur extremitas acus. Deinde dilatatur precepto Dei excelſi, & egreditur ex ea fœtus. Meatui autem vrinæ in ea eſt locus altus, & eſt propinquior ori matricis ex eo, quod ſequitur ſupremum eius. Et de mulieribus eſt, cuius matricis collum redit ad ſiniſtrum, & de eis eſt, cuius eſt ad dextrum. Et ante violationem puellæ virginis ſunt in collo matricis panniculi cōtexti ex venis, & ligamentis ſubtilibus valde ortis ex omni parte eius, quos deſtruit violator, & currit, quod in eis eſt de ſanguine. Hæc Auic. quibus conſonant ea, quæ habet Gal. toto lib. 14. de vſu part. & cap. quidem 1. in principio, dum inquit. Cum tres primi naturæ ſint in partibus animalis conſtruendis ſcopi (nam ex ipſis quaſdam fecit ad viuendum neceſſarias, cuius generis ſunt cerebrum, cor, & hepar: quaſdam ad viuendum commodius, vt oculos, nares, aures, & manus: quaſdam ad generis inſtaurationem, vt pudenda, teſtes, & matrices) quod nulla quidem pars non modo quæ ad viuendum, verum etiam quæ ad commodius viuendum eſt comparata, melius quam nunc habet, conſtrui potuit. Hoc autem libro partes, quæ nobis ad

generis inſtaurationem à natura ſunt tributæ, ſuperſunt adhuc explicandæ. At certe natura, ſi fier potuiſſet, maxime optaſſet ſuũ opificium eſſe immortale: quod cum per naturam non liceret (nam quod ex arterijs, venis, neruis, & oſſibus, ac præterea carne, eſt compoſitum, incorruptibile eſſe non poteſt) ſubſidium, quod potuit, ipſi ad immortalitatem eſt fabricata, & c. Quod de filiorũ procreatione intellexit. Et plura lib. de vteri diſſect. à c. pręſertim 2. vſq; ad 9. & lib. 3. de vict. rat. cap. 39. & Haly. 3. theor. c. 33. & idem Gal. lib. 3. de nat. facult. cap. 3. & 11. & lib. de diſſect. ven. cap. 9. & lib. 15. de vſu part. cap. 14. & lib. 1. de ſem. cap. 2. & 4. & lib. 2. de ſem. cap. 5. vbi mulieres à maribus in eo differre ſexu affirmat, quia, quod intra habent pudendum mulieres (cum ex frigiditate expellere non potuerint) mares calidiores extra miſerint, ſicut & teſtes, quos mulier intra habet. Et de ca. ſimpt. cap. 3. & lib. 15. de vſu part. cap. 7. & lib. de anat. viuorum Raſ. tract. 1. cap. 26. & Hip. quidem morborum omnium cauſas ab vtero prouenire ſæpe affirmat, & de eius natura, & morbis omnibus vlceratione, ſuppuratione, aſcenſu, auerſione, deſcenſu, dolore, concluſione, diſtortione, hiatu, ad caput allapſu, ſtrangulatione, ad cor progreſſione,

ad crura, ad hepar, ad coxas, ad pedes, ad ſedem, ad ſeptum tranſuerſum, ad ſtomachum, alijsq; huiuſmodi, eorumq; curationibus fuſiſſime tractat tum in lib. de morb. muliebr. & de nat. muliebr. tum etiam lib. 5. aphoriſ. paſſim. Et hæc de his dicta ſint ſatis. Conſequitur nunc, vt de fœtus tempore agamus.

DE TEMPORE FOETVS. Cap. X.

DE tempore formationis fœtus Auic. præ alijs fuſiſſime agit lib. 3. fen. 21. tract. 1. c. 2. Cuius textum adduco. Cum matrix colligitur ſuper ſperma, tunc prima diſpoſitionum, quæ aduenit illic, eſt ſpumoſitas ſpermatis, & eſt ex operatione virtutis formatiuæ. Et infra. Et diſpoſitio quidem alia apparens, ſeu exiſtens eſt punctura ſanguinis in ſiphac, & extēſio eorum in ſiphac extenſione aliqua: & in hac diſpoſitione ſunt veſicæ aliquæ ex eis ſanguineæ, quæ iam conuertuntur ad ſanguineitatem, & vmbilicus conuerſus eſt ad formam vmbilici conuerſione ſenſibili. Tertia autem diſpoſitionum eſt conuerſio ſpermatis ad ſanguinem congelatum, ſeu coagulatum, & poſt ipſam eſt conuerſio ad carnem maſticatam,

catam, ſeu ad fruſtum carnis maſticatæ, & illis ſeu tunc membris principalibus apparet ſeparatio ſenſata, & quantitas ſenſata, & poſt fit eius conuerſio, viquequo compleatur generatio cordis, & membrorum primorum: & incipiunt ipſa ſeparari adinuicem, & inter ea ſunt meatus noti, ſeu membra intermedia communicanria nota, & ſunt extremitates iam lineatæ, ſed non ſunt à ſe ipſis ſeparatæ ſeparatione integra. Deinde non ceſſat conuerſio, aut tranſmutio, quo vſq; generentur extremitates. Et paulo poſt. Et ſpatium quidem ſpumæ eſt ſex dierum, aut ſeptem, & in his diebus operatur informatiua in embrione non ſugendo nutrimentum ex matrice, & poſt illud ſugit. Et incæptio linearum rubearum, & punctorum eſt poſt tres alios dies, & ſunt nouem dies ex principio, & quandoque fit antecеſſio die vno, aut poſtponitur die vno. Deinde poſt ſex dies alios, & ſunt quindecim à conceptione, penetrat ſanguineitas in toto, & fit ſangnis coagulatus, & quandoq; antecedit die vno, aut duobus, & duodecim diebus poſt illud fit humiditas caro, & iam diſcernuntur fruſta carnis, & diſcernuntur membra tria manifeſte, & iam ſeparantur quædam eorum à contactu quorundam, & extenditur humiditas nuchæ: & quandoq;

doq; poſtponitur,aut antecedit duobus diebus, aut tribus. Deinde poſt nouem dies ſeparatur caput ab humeris,& extremitates à coſtis,& ventre,vt diſcernat ſenſus in quibusdam eorũ, & celetur in quibuſdam eorũ ita,vt ſentiatur illud poſt quatuor dies, qui complent quadraginta dies, & poſtponitur raro vſq; ad quadrageſimum quintum diẽ, aut minus in hoc eſt vſq; ad triginta quinq; dies. Et dicitur in doctrinis primis, quod quando poſt quadraginta dies: ſcinditur ab ortu panniculus ſubtilis, in quo fœtus continetur, & ponatur ille fœtus expoliatus à panniculo dicto in aqua frigida,apparet res parua diſcretarum extremitatũ: & maſculus eſt velocior in illo toto, quam fœmina; videtur enim, quod ſit minus ſpatium formations maſculorũ triginta dies, & minus parturitionis eſt medietas anni, & quod dicemus de proximo. Et infra.Et apud quoſdam cum ſuperuenit formationi embrionis duplũ temporis eius, in quo mouetur ita vt ſit à prima incæptione conceptionis vſque ad motum eius triplum temporis, tunc naſcitur: & lac quidem accidit cum motu embrionis: & iam dicitur, quod tempus æquale medium ad formationem eius eſt trigintaquinq; dierum,quare ipſe mouetur in ſeptuaginta diebus, & naſcitur 210.& illud

lud eſt ſeptem menſes, & antecedit quandoq; diebus aliquot,& quandoq; poſtponitur,quoniam fortaſſe cadit in 35. diebus diuerſitas parua, ſeu additio, ſeu diminutio parua,& multiplicatur in duplicatione, & quando eſt illud, quod eſt plus, eſt 45. dierum,& mouetur in 90. diebus,& naſcitur in 270. & illud eſt nouem menſes. Et quandoque cadit in hoc etiam diuerſitas in diebus, ſicut dictum eſt,& hoc eſt res, in qua non eſt iudicium firmatum cum ratione demonſtratiua. Et motus in octauo menſe,ſi non eſt completus, tunc primum iudicium eius eſt,vt nō viuat, ſecundum quod faciam te ſcire poſt: ille autem, qui iam eſt completus integre ſecundum proportionem prædictam,& naſcitur apud complementū ſuum, tunc ſpacium eius eſt quadraginta dierum,deinde 80. dierum,deinde 240. dierum,& octauo menſe,& minoratur, & additur ſecundum,quod ſciuiſti. Et dixerunt, non inuenitur in abortu maſculus completus ante 30. dies, & fœmina,quæ compleatur ante 40. dies. Et dixerunt,quod natum in ſeptimo menſe ingreditur virtus, & fortificatio, poſt quam peruenerint natiuitati eius ſeptem menſes, & natum in nono poſt nouem menſes, & natum in decimo poſt decem menſes. Et de his plura infra tract.2.

cap. 1. Et Auicennæ quidem concordant ea quæ habet Gal. lib. de anat. viu. cap. 51. & 52. & lib. de fœt. format. cap. 3. & lib. 1. de ſem. cap. 9. & Ariſt. lib. 7. de nat. animal, cap. 3. & Raſ. 22. cont. tract. 6. cap. 1. Et Hip. latiſſime lib. de nat. pueri, cuius verba ſupra retulimus; vbi etiam habet maſculos in tertio menſe, fœminas in quarto moueri. Et lib. de ſeptimeſtri, & etiam de octimeſtri partu, vbi & vndecimeſtres fœtus naſci affirmat, octimeſtresq; non ſuperuiuere. Et Gal. de ſeptimeſtri partu, ac de fętuum format. in princ. vbi neq; vnum ſtatum, ac certum terminum fœtibus eſſe aut manifeſtæ formationis, aut motus aut partus. Et lib. de ſemine cap. 9. hæc habet. Cæterum rurſus ad primam animalis cõſtitutionẽ ſermonem reducamus, & quò nobis bono ordine, ſimulq; manifeſte res tradatur, omnem fœtuum generationem in quatuor tempora diſtribuemus. Primum quidem, in quo circa abortus, & circa diſſectiones ſeminis ſpecies exuperat, & dominatur, quo tempore neq; Hip. qui in omnibus admirabilis eſt, fœtum vocat eam animalis conſtitutionem, ſed vt nuper ab eo audiuimus in genitura, quæ ſex iam dierum fuit elapſa. Poſt quam vero expletus quidẽ ſanguine fuerit fœtus, cor vero, & cerebrum, ac hepar adhuc in

arti-

articulata ſunt, & informia, firmitatem tamen iam aliquam, & magnitudinem memorabilem habent, hoc ſecundum tempus erit. carniformis autem & non amplius ſemini formis eſt ipſa fœtus ſubſtantia. Igitur neq; genituram amplius huiuſmodi ſpeciem Hip. appellare reperias, ſed (vt dictum eſt) fœtum. Tertium deinde tempus eſt, quando tria (vt dictum eſt) principia manifeſte videre licet: reliquarum verò partium omnium deſignationem per lineamenta, & quaſi adumbrationem, euidentioremq; namq; videbis circa tria principia formationem; obſcuriorem verò partium circa ventrem, & multo adhuc his obſcuriorem circa artus; hi enim poſterius ramificant (vt Hip. dixit) proportionem, quam ad ramos habent, per hanc appellationē oſtendere volens. Quartum deinde, & poſtremū tempus hoc eſt, cum iam omnia in artubus ſunt iam plene articulata: & non fœtum ſolum, ſed iam etiam puerum nominat id, quod in vtero concæptum eſt, admirandus Hip. quando & pedibus calcitrare, & velut perfectum animal moueri dicit. Cæterum nihil nunc opus habeo fœtus, velut animalis mentionem facere; velut planta enim omnem tum generationem, tum formationem à ſemine habuit, duplexq; principium

motus

motus, & formationis ſtatim à principio, quemadmodum ille iudicauit; qualis enim eſt radicatio plantis deorſum, & infra terram, talis eſt fœtibus inſitio arteriarum, & venarum ſecundæ in vtero, &c.

DE PARTIBVS PRIVS, vel poſt genitis.

Cap. XI.

QVÆ vero partes prius in fœtibus generentur, controuerſia eſt inter ſcribentes. Et Auic. quidem Ariſtoteli aſſentiens 2. de gen. animal cap. 4. ait lib. 3. fen. 21. tract. 1. cap. 2. Cor primo gigni, quamuis primum manifeſte apparens vmbilicum contendat, eumq; cordis, hepatis, cerebriq; veſicarum creationem præcedere, licet poſt ipſum compleantur, cuius verba hæc ſunt. Cum matrix colligitur ſuper ſperma, tunc prima diſpoſitionum, quæ aduenit illic, eſt ſpumoſitas ſpermatis, & eſt ex operatione virtutis formatiuæ. Et veritas quidem diſpoſitionem ipſius ſpumoſitatis eſt ex hoc, quod virtus informatiua mouet illud, quod eſt in ſpermate ex ſpiritu animali, naturali, & vitali ad mineră vniuſcuiuſq; eorum, vt figatur in ipſa, & creetur illud membrum ex eo ſecundum modum, quem

expo-

expoſuimus, & declarauimus in lib. principiorum, & propter illud reperitur exufflatio tota impelli ad medium humiditatis, vt præparetur locus cordis: deinde fiunt à latere eius dextro, & à latere eius ſupremo duæ veſicæ quaſi ramificatæ ab eo tangentes ipſum vſq; ad horam, deinde ſeparantur ab eo, & diſcernũtur, & fit prima locus pro corde, & dextra locus pro hepate, & impletur alia ſanguine ad albedinem decliui, & penetrat ad exteriorem partem humiditatis ſpermaticæ poſt ventoſitatem ſpirituoſam perforantem eam, vt ex ipſa recipiat a matrice reſtaurationem ſpiritus, & ſanguinis, & creatur vmbilicus, & eſt primũ, quod generatur manifeſte. Veruntamen veſicæ cordis, & hepatis, & cerebri creationem vmbilici præcedunt, quamuis complementum horum trium poſtponatur à complemento ſubſtantiæ vmbilici, & hoc quidem iam verificauimus, & declarauimus diuerſitatem in eo in lib. principiorum ſciẽtiæ naturalis. Et cum ſperma figitur, & ſpumat, & penetrat ſpuma ad profundum cauſando veſicam pro corde, generatur panniculus ex motu ſpermatis mulieris cauſato à ſpermate maſculi, & eſt ſeparatus. Deinde non ſuſpenditur cum matrice niſi cum foraminibus, ſeu orificis venarum propter attra-

ctionem nutrimenti. Et embrio quidem nō nutritur ex hoc panniculo, niſi dum panniculus eſt ſubtilis, & nutrimenti parum eſt neceſſarium: cum autem induratur, tunc fit cibatio per illud, quod generatur in panniculo, & meatibus manifeſtis venoſis. Deinde diuiditur poſt tempus in panniculos. Et veritas quidem eſt, quod primum membrum, quod creatur, eſt cor, quamuis de Hip. dicatur, quod dixerit (Gal. lib. de anatom. viu. cap. 52.) quod primum, quod generatur eſt cerebrum, & oculi, propterea quod teſtificatur illud diſpoſitio pullorum in ouis, cor vero non eſt in primis, cum creatur, in omni diſpoſitione, vel in omni re apparens manifeſtum. Et iam poſtea inſurgit fabulans, & vana loquens (de Gal. ait lib. de fœt. format. capit. 3. & 4.) qui dixit, quod rectius eſt, vt ſit primum, quod creatur, hepar, quoniam prima operatio corporis eſt nutricatio, quaſi ſit res ſecundum appetitum eius, & ſecundum quod videtur ei eſſe conuenientius. Et ſermo iſte eſt corruptus ex via experimenti, quoniam ſtudioſi in hac rē non teſtificantur rem eſſe, ſecundum quod exiſtimauit, omnino. Et ex ratiocinatione eſt, quoniam ſi res eſt, ſecundum quod ipſe exiſtimat, ſcilicet quod creatur in primis, cuius operatio

in

in primis præmittenda eſt, tunc ſciat, quod non nutritur membrum vitale, dum non in ipſo innititur, vel fundatur vita cum calore naturali, & ſpiritu vitali. Cum ergo ita ſit, neceſſe eſt, vt creetur membrum, à quo procedit calor naturalis, & ſpiritus vitalis ante creationem nutrientis ipſum. Et virtus quidem informatiua non indiget in diſpoſitione formationis nutrimento, dum non accidit reſolutio ſenſibilis ſenſibile faciens nocumentum, quare ſit neceſſarium reſtauratione eius, & ſit neceſſarius ſpiritus vitalis, & calor animalis, vt ſubſtentetur cũ eo, & exiſtat. Quod ſi dixerit, quod ipſe adueniat virtuti formatiuæ ex patre, tunc ſimiliter etiam virtus nutritiua aſſociata virtuti informatiuæ generatiuæ eſt ex parte patris. Qualiter ergo iſta nutritiua præcedit, cũ iam illa ſcilicet virtus vitalis ſit magis præcedens ſecundũ eſſe, & hoc eſt &c. Quibus ſimilia habet Gal. lib. de anat. viu. c.5 1... & 5... Ex aliena loquens ſententia, ei tamen acquieſcens vti rationi, & experimentis cõſonæ magis. Et equidem cum ſemen ſit potentia animal, ſicut plantæ ſemen planta eſt, eſſentiales corporis partes ſimul fingi, & procreari ſatis veriſimile apparet ex Hip. etiam ſent. cum lib. de alim. affirmet omnia in corpore conſentientia eſſe iis verſus,

con-

confluxus vnus, conſpiratio vna, conſentientia omnia: quædam tamen citius, quædam poſterius perfectionem, & complementum accipere, adeo vt etiam poſt perfectum, & natum animal quædam partes generentur, vt pili in capite, & alijs corporis partibus, ſicut etiam dentes, aliaq; ad vitum non neceſſaria. Et Gal. quidem ſibi met contrarius eſſe videtur cum lib. de fœtuum format. cap. 3. & 4. (ſi modo hic lib. Gal. eſt) affirmet hepar primo procreari, & verſus finem libri contendere videtur arterias, venas, & ſecundam vna cum hepate primo generari, ſic inquiens. Etenim prima formatio in arterias, ac venas, ſecundamq;, ac hepar, non autem in cor nos ducit, ſiue ratione rem ipſam conſideremus, ſiue ex his, quæ in reſectionibus apparent æſtimationem faciamus. Et ibid. Rurſus igitur; quod etiam ante diximus; ſemen opificis rationem habebit, vaſa vero, per quæ ſanguis à prægnante attrahitur ad viſcerum generationem, omnium prima generabuntur: ſecunda autem ab his hepar, & cor. Et ſupra contra Stoicos, & Peripateticos loquens cordi primam generationem aſſignates his verbis contendit. Arterias igitur, & venas neceſſe eſt primas omnium ex ſeminis ſubſtantia generatas eſſe, que-

madmodum & in lib. de ſem. eſt demonſtratum. Quare etiam ſi alius quiſpiam, ſimiliter vt illi, qui de corde pronũciauerũt, aut ſecundam, aut hepar principium eſſe dixerit omnium animalis actionum, minime credemus, cum alia generationis principia vnicuiq; corporum generi eſſe ſciamus, alia item gubernationis. Et ſuperius. Deinde alius illum ſequens de arteriarum, ac pulſuum in ipſis vtilitate, in quibus ſi quis legendo ſe exercitauerit, cognoſcet fœtum in principio generationis neq; arteriarum, neq; pulſuum, neq; cordis neceſſariam vtilitatem habere, quemadmodum neq; plantas, &c. & paulo ante. At vero in abortibus fœtuum ſupra 30. dies prope inter ſe ſita manifeſte apparent tria hæc animalis membra hepar, cor, & cerebrum, atq; maius quidem vtriſq; alijs hepar, inferiora vero ipſo longe ſunt tum cor, tum cerebrum, nec vero poſſibile eſt inuenire, quando cor principium formationis habeat, &c. Quo loco Gal. ſe ipſo tamquam expertior (vt ait) retractat, quæ dixerat in lib. de ſem. vbi & cor, & hepar primo gingi aſſeruiſſe teſtatur, & hepar cordis generationem præcedere affirmat, heparq; prius gingi vna cum arterijs ipſis ſæpius ibidem repetit. Ex quibus manifeſte apparet quam ſit dubia Gal. ſententia,

tentia, cum libel. an omnes corporis partes ſimul fiant, libere fateatur neſcire, quæ partes prius gingantur, ſed ſolum Deum noſſe, qui eas plaſmauit, vbi non omnes ſimul cõſiſtere enixe contendit.

DE SIMILITVDINIS, Et diſſimilitudinis cauſis. Cap. XII.

DE ſimilitudine, & diſſimilitudine fœtuum (quæ triplex eſt ſecundum Gal. lib.2. de ſem. cap.2. & 5. tum ſecundum ſpeciem, tum ſecundum ſexum, & effigiem) nunc dicendum eſt, de quibus conſulendus eſt Hip. lib. de genit. vbi hæc habet. Et ex quacunq; corporis viri parte plus prodierit in genitura, quam mulieris, partus ille magis ſimilis erit patri: vndecunq; vero a corpore mulieris plus venerit, magis aſſimilatur matri: eſt autem impoſſibile partum per omnia matri ſimilem eſſe, & patri nihil, aut vice verſa neq; alteri quicquam ſimilem eſſe, ſi quidem ab vtriſq; corporibus ſemen in partum procedit: vter autem tandem plus contulerit ad ſimilitudinem, & à pluribus corporis regionibus, illi magis ſimilis eſt. Et infra. Quandoque partus tenues,

& debiles generantur ex matre, & patre, craſſis, ac robuſtis: & ſiquidem multis iam generatis pueris tale quid contingat, manifeſtum eſt, quod fœtus in vtero ægrotauit, & ab vtero quid de ſuo ipſius incremento foras prodiuit, vtero nimirum amplius hiante, & propterea debilis factus eſt. Vnumquodq; autem animal iuxta proprium robur ægrotat: ſi vero omnes pueri nati debiles fuerint, vteri ipſi in cauſa ſunt anguſtiores, quam oportet, exiſtentes; ſi enim non habuerint ſpatioſitatem, in qua fœtus nutriri poſſit, neceſſe eſt ipſum tenuẽ fieri, vt pote qui non habeat ſatis amplum locũ ad incrementum capiendum: ſi vero habeat ſatis amplum locum, & non ægrotet, veriſimile eſt ex magnis parentibus magnam ſobolem generari. Habet autem res hoc modo, quemadmodum ſi quis cucumerem, qui iam defloruit, ſi autem adhuc tenellus, & in cucumerario adhuc adhæreat, ponat, ac immittat in vas anguſtum, æqualis, ac ſimilis euadet cauitati ipſius vaſis: ſi vero quis eundem in vas amplum indet, quod veriſimile ſit cucumeris capax eſſe, ſed non valde multo maius, quam pro cucumeris natura, æqualis itidem, ac ſimilis erit cucumis vaſis ampli cauitati; nam in augeſcendo cum vaſis cauitate contendit, & ferme

omnia

omnia naſcentia ſic habent, quo modo quis ipſa cogat: ſic ſane & cum puero ſe res habet; ſi enim ſpatioſitas ipſi contigerit in augeſcendo, maior euadet, ſi vero anguſtia minor. At vero mutilum in vtero puerum ſentio aut contuſum ex matris vterum geſtantis plaga, aut eiuſdem lapſu, aut alio quopiam violento affectu matri accidente, mutilatum eſſe: qua vero parte mater plagas acceperit, ea puer mutilatur: ſi vero amplius contundatur fœtus, ita vt pellicula ipſum continens rumpatur, perditur fœtus: quin & alia huiuſcemodi cauſa pueri mutilantur. Cum in vtero iuxta locum, in quo mutilatus eſt fœtus, anguſtia fuerit, neceſſe eſt corpus, quod in anguſtia mouetur, mutilari iuxta illum locum, quemadmodum etiam arbores quæcunq; in terra ſunt, & non habent ſatis amplum locum, verum à lapide, aut aliqua alia re impediuntur, cùm emergunt, obliquæ, ac tortuoſæ ſunt, aut hac parte craſſæ, altera tenues. Sic accidit etiam circa puerum, ſi in vtero iuxta aliquam corporis partem anguſtior altera fuerit. Cæterum quod ex mutilatis hominibus ſani, & integri gingantur pueri, vt plurimum contingere ſolet; habet enim mutilatum numero omnia quæ ſanum: vbi vero morbus aliquis ipſis, & humido ipſorum

acciderit, à quo ſemen prouenit (quatuor ſane cum ſpecies ſint humidi, quæ naturaliter in corpore exiſtunt) genituram non totam exhibent, debiliorem autem iuxta mutilatam partem. Quare nihil miri mihi videtur, ſi etiam mutilentur quemadmodũ parens. Et Auic. lib.3. fen.21. tract.1.cap. 2. Et cum ad cor fœtus antecedit complexio maſculina, tunc ipſa fluuit in omnia membra, & ipſe fœtus cum maſculinitate ſua aſſimilatur patri ſuo: & quandoque eſt cauſa maſculinitatis præter complexionem patris ſui, immo eſt diſpoſitio matricis, aut complexio ſpermati accidens proprie: quapropter nõ oportet,vt cum ipſe aſſimilatur patri in hoc, quod eſt maſculus, quod ſit ei ſimilis in reliquis membris:immo quandoq; aſſimilatur matri. Et aſſimilatio quidem indiuidualitatis ſequitur figuram, & maſculinitas non ſequitur figuram, immo complexionem. Et quandoq; accidit cordi ſoli quaſi complexio patris, quæ ſpargitur in membra: ex parte autem præparationis figuralis eſt receptio materiei in extremitatibus decliuis ad figuram matris. Et quandoq; eſt informatiua potens ad hoc, vt dominetur ſpermati, & figuret ipſum ex parte lineationis cum figura patris : ſed deficit ex parte complexionis, vt faciat ipſum ſibi ſimilem

milem in complexione. Et dixerunt quidam ſapientum, & non ſunt elongati à iudicio poſſibilitatis, quod de cauſis aſſimilationis eſt illud, quod exemplificatur, cum eſt diſpoſitio concæptionis in mente mulieris, aut viri ex forma humaua exemplificatione firma. Cauſa autem in ſtaturis quandoque eſt diminutio, quæ eſt in ipſis propter materiam paucam in principio; aut ex parte paucitatis nutrimenti apud creationem, aut propter paruitatem matricis, quare non inuenit fœtus dilatationem in ea, ſicut accidit fructibus immaturis, qui ponuntur in vaſe, ſeu in loco anguſto, cum ſunt adhuc immutari, quare non fit additio ſuper eos. Et his conſonant, quæ habet Ariſt. lib. 4. de gen. anima. cap. 1. & Gal. lib. 14. de vſu part. cap. 7. & cap. 14. vbi plura de vi imaginat. mulieris ad fœtus formam. Et idem Auic. lib. 1. fen. 1. doctr. 4. cap. 2. & fen. 2. doctr. 1. cap. 8. & lib. 3. fen. 1. tract. 4. cap. 23. & fen. 13. tract. 3. cap. 5. & fen. 15. tract. 1. cap. 6 & lib. 1. fen. 2. doctr. 2. ſum. 1. cap. 14. Gal. de Theriaca ad Piſo. cap. 11. & lib. de mot manifeſt. & obſcu. vbi de motu virgæ. Et lib. de opt. corp. conſt. cap. vltimo, vbi de maiori, vel minori corporis mole, eiuſque cauſa inquirit. Et de cauſa maris, & fœminæ Hip. lib. de genit. cit. hæc

addit. Quandoq; quidem fortius eſt ſemen à muliere emiſſum, aliquando vero debilius, ſimiliter etiam quod vir emiſit: Et eſt tum in viro fœmineum, itemq; maſculinū ſemen, tum itidem in muliere: fortior autem maſculus fœmina eſt; neceſſe igitur eſt ipſum à fortiore ſemine generari, habetque res hoc modo. Si ab vtriuſq; ſemen fortius prodierit, maſculus erit partus, ſi vero debile, fœmina naſcetur. Vtrum autem multitudine, ac copia præualuerit, iuxta illud ipſum partus naſcetur, ſi enim multo plus fuerit debilis ſeminis, quam fortioris, ſuperatur forte, & debile permixtum in fœminam tranſit; quemadmodum ſi quis ceram, & adipem miſceat, & de adipe tamen plus conijciat, eaq; ad ignem liquefaciat; quandiu quidem liquida fuerint, non apparet, vtrum tandem horum ſuperet, vbi vero congelata fuerint, tunc iam conſpicuum eſt, quod adeps ceram copia exuperat. Sic habet etiam maſculi, ac fœminæ genitura: quod vero & in fœmina, & in viro genitura fœminea ſit, ac maſcula, ex manifeſtis factis coniectare licet; multæ enim mulieres iam fœminas pepererunt ex proprijs viris: verum ad alios viros ingreſſæ maſculos genuerunt, & viri illi ipſi, apud quos mulieres fœminas pepererunt, ad aliarum

rum mulierum mixturā progreſſi maſculos genuerūt,& quibus maſculus ſexus gingeba tur,alijs fœminis permixti fęmineam ſobolē genuerūt. Atq; hęc ſane ratio declarat tum virum,tum fęminā & fęmineam,& maſculā geniturā habere;nam apud quos fęminas pa riebant, ſuperabatur fortius ſemen à copia debilioris, & gingebantur fœmellæ: apud quos vero maſculos pariebant, ſuperabatur debilius, & gingebantur mares: procedit autem non ſemper ab eodem viro genitura fortis,ſed neq; ſemper debilis,ſed alias alia, atq; ſic etiam in muliere res habet, vt minime mirum ſit eaſdem fœminas, eoſdemque viros ſobolem maſculam, & fœmineam, producere. Et in ipſa genitura egreditur, & fœmineum, & maſculinum ab omni corpore,& à debilibus debilis,& à fortibus fortis,& neceſſe eſt ſic in partum diſtribui,&c. Et ad finem lib. In muliere, & in viro, & in omni animali in ſingulis & debilior, & fortior genitura eſt, & non ſemel, ac ſimul genitura procedit, ſed & bis, & ter ebullit, ac eiaculatur, & non eſt poſſibile omnem eſſe fortem, tum quæ prius exiuit, tum quæ poſterius: in vtrum autem ſinum, & craſſiorem, ac fortiorem genituram ingredi contigerit, illic maſculus gingitur: in vtrum vero rurſus humidiorem, ac debiliorem, illic

fœmella

fœmella generatur: ſi vero in vtrumq; fortis ingrediatur,ambo maſculi fient, ſin debilis,ambo fœmellæ. Et Gal. quidem lib.2. de ſem. cap.5. de trium ſimilitudinum ſpeciebus loquens hæc habet. Quare trium ſimilitudinum tria principia habebimus, ſimilitudinem generis animalis iuxta ſubſtantiam, ex qua generatum eſt: formæ vero iuxta motum ex ſemine: eam vero,quæ eſt aut maſculi, aut fœminæ ex vtrorumque principiorum temperamento(vtraq; autem principia appello menſtruum, & ſemen. Et paulo ſupra. Hæc igitur à me dicta ſunt; & manifeſtum iam factum eſt in calidiore, & ſicciore fœtus temperamento maſculum animal generari: in frigidiore vero, & humidiore muliebre: ſpeciem autem, ſiue genus animalis (vtrumque enim dicere licet) hominem videlicet,& equum,& bouem ad naturam materiæ in animalis generationẽ ſubiectæ conſequentem eſſe: quemadmodum ſane & formæ ſimilitudinẽ ad vtrũq; parentem effigientis,ac formantis facultatis eſſe,quæ in ſemine continetur. Et cap.eod. Cauſam inquirens, cur maſculus matri aſſimiletur, ſic inquit. Neq; enim cum in genitalibus partibus dominium contingit, ob id etiam toto corpore maſculus a fœmina differt: neque cum penitus vicerit alterum

ſemen

ſemen; multi enim maſculi matri ſimiles ſunt, & fœmellæ patri. Quæ eſt igitur alia præter has cauſa? Dixit itaq; Gal. ſpeciei ſimilitudinem à materia prodire, & bene, quia cum fœtus fiat è ſemine maris, ac fœminæ, & ſanguine menſtruo, cum ſanguis menſtruus in pluri ſit quantitate, quam ipſũ ſemen, mirum non eſt ſi plerunque animal fœminæ naturam ſequatur præſertim in brutis; vnde ex oue, & hirco naſcitur ouis, ex capra, & ariete caper; & alquando quid medium, vt ex aſino, & equa, & ex equa, & aſino mulus. De maris autem, ac fœminæ indicijs loquitur. Hip, lib. 5. aphor. cap. 4. ſic inquiens. Mulier ſi marem concipit, bene colorata eſt: ſi vero fœminam, male colorata. Et 48. fœtus mares quidem in dextris, fœminæ vero in ſiniſtris magis. Et 38. Mulieri vtero gerenti ſi altera mamma gracilis fiat geminos habenti, alterum abortit, & ſi quidem mamma dextra gracilis fiat, marem, ſi vero ſiniſtra, fœminam. Et lib. de ſuperfœt. ſi dextera mamma prius, & magis turgeat, maris indicium iudicauit. Præterea fœminam hilariorem eſſe in conceptu maſculi, & ad omnia magis promptam, & dum progredi incipit, dextrum pedem præponere; & pulſum dextra manu validiorem habere, & motum validiorem

diorem in dextris paſſim ſcriptores teſtantur: indicatur etiam è lacte iuxta ea, quæ habet Hip. lib. de ſterilibus; lac enim ſi proiectum ſupra folia condenſetur, maſculum indicat, quia vegetum calorem denotat. Aptitudo etiam ad mares procreandos ex Hip. lib. 9. epidem ſect: 4. text. 27. dignoſcitur, nam in mare in ætate adoleſcentiæ dexter teſticulus prius turget, & mamma in fœminis; dextera enim pars vt robuſtior, & calidior maxime confert ad marem generandum: præterea qui ſunt calido temperamento, potius mares procreant. Cognoſcitur vero fœminam concepiſſe iuxta ea, quæ habet Gal. lib. 5. de nat. facult. cap. 3. quia fœmina in coitu quodam modo præſentit vterum conuelli, & retrahi, quia fit attractio, & retentio ſeminis, quod etiam mas cognoſcere poteſt, quoniam pudendum retrahitur veluti à cucurbitula ab ipſo vtero: Et oſtetrices os ſentiũt clauſum citra duritiẽ. Et ex aphor. 4. ſect. 5. ſi poſt aſſumptam mulſam fœmina in vẽtre tormina ſentiat, facta eſt cõceptio, quia ob vterum clauſum flatus à mulſa excitatus exitum non inuenit. indicatur etiam ex anguſtia oris vteri Hip. lib. 3. aphor. 54. Et quidem omnes fatẽtur ne quidẽ acus acumen in vteri os poſſe ingredi, quando mulier concepit. Teſtantur etiam

etiam id dignoſci ex dolore lumborum, nauſea, cibi faſtidio, vomitu, pica, vitijs ventriculo noxijs tanquam in geſtatione fœtus compatienti, è ſuppreſſione menſium, grauitate corporis, languore, deſidia citra horrorem, ac febrem Hip. 5. aphor. 61. Gal. de ſympt. ca. cap. 7. de ſympt. diff. lib. 6. cap. 5. Addit Hip. lib. de nat. pueri motum in vtero citra dolorem, & flatum, ac vberum tumorem. Et lib. de ſuperfœt. oculos allidos aducit vti ſanguine ad vterum confluente. Auic. præterea inquit vrinam in principio de colorem, in vltimis menſibus coloratiorem, tanquam calore augeſcente ob fœtus magnitudinem vaſa comprimentis, & viſcera, & calorem vnientis lib. 3. fen. 19. tract. 1. cap. 11. ad finem cap. Sed non abre fuerit, à Auic. tex. aliquos prædicta corrobrantes adducam. Et quidem lib. 1. fen. 2. ſum. 2. doctr. 3. cap. 10. hæc habet. Vrinæ prægnantium ſunt claræ, & ſuper earum ſuperficiem eſt nebula, & quandoque trahunt ad colorem aquę cicerum, aut aquę pedum citrinæ, & in ipſa eſt Zarach, & ſupra ſummitatem earum eſt nebula, ſed quocunque modo fuerit in medio, videbitur ſicut cottum carminatum: & eſt cum in eis ſunt velut grana, quæ aſcendunt, & deſcendunt. Cumq; irinus manifeſtior fuerit,

erit

erit impręgnationis principium,& cum loco ipſius fuerit rubedo, erit in fine imprægnationis, & proprie ſi turbantur,cum mouentur. Parientium vrina ſecundum plurimum eſt nigra, & in ipſa eſt velut atramentum,& ſicut ſordities. Et lib.3.fen.19. tract.1. cap. 11. loquens de prægnatium ſignis. Significant ipſam illud, quod ante ceſſit de conuenientia duarum emiſſionum ſpermatis, & diſpoſitio quaſi tepor ſuccedens coitui:& eſt caput virgę quaſi ſuctum, cum emittit ſperma, & eſt, cum egreditur, ad ſiccitatem aliquantulum decliue, & ſuccedit ei vehemens adunatio oris matricis, ita vt non ingrediatur ipſum ſtilus. Et ſimiliter eius eleuatio ad ſuperiora, & anteriora, & colligitur abſque duritie, & vehementia ſiccitatis illius partis, & retinentur menſtrua, quare non menſtruatur vſq; ad tempus,aut menſtruatur paulatim, & accidit dolor paruus in eo, quod eſt inter vmbillicum, & receptricem. Et quandoq; fit difficultas vrinæ, & accidit ei, vt abhorreat coitum poſt illud,& odio habeat ipſum: & quando cum ea coitur,non emittit ſperma, & accidit ei apud coitum dolor ſub vmbilico,& nauſea. Et prægnans habens maſculum vehementius odit coitum, quàm prægnans habens fœminam; ipſa enim

quandoq;

48.
quandoquè non abhorret coitum. Deinde illud,quod ſuccedit ei de anguſtia, & pigritia, & grauitate corporis, & malitia animæ,& parua nauſea,& eructatione acetoſa, & horripilatione,dolore capitis, & vertigine, & tenebroſitate oculorum, & ex pulſu cordis,deinde commouentur appetitus mali poſt menſem,aut duos menſes. Et citrinatur albedo oculorum earum, & fit viridis. Et quandoq; profundantur oculi eius, & mollificantur palpebræ eius, & acuitur aſpectus eius, & clarificantur eius pupillæ, & ingroſſatur eius albedo, & non citrinantur ſecundum plurimum, & neceſſaria eſt alteratio coloris, & euentus impreſſionum egredientium à natura, quamuis ſit in prægnante ex maſculo minus, & in prægnante ex fœmina plus. Et quandoque impregnatio ſedat dolores dorſi, & ancharum, propterea quod calefacit ea matrix, & cum parit,redeunt. Et quandoq; alterantur mammillæ eius ab eo,quod fuit, & dilatantur, & citrinantur ſuper ipſum venæ eius, et virides fiunt. Et in pluribus diſpoſitionibus accidit prægnantibus, vt mollificentur eorum mammillæ in principio retentionis menſtruorum,& augmento eius, quod de ipſis retinetur vltra illud, quo indiget embrio, propter paruitatem embrionis, et debili-

bilitatem eius à cibatione. Deinde cum magnificatur embrio, cibatur illa ſuperfluitate, et viuificatur, et ſedantur accidentia retentionis eius. Et cum impraegnatur puella, quæ nondum conſecuta eſt quindecim annos, timetur ei mors propter paruitatem matricis, etc. Et cap. 12. Loquens de cauſis maſculinitatis. Cauſa maſculinitatis eſt ſperma viri, et caliditas eius, et abundantia ipſius, et conuenientia coitus in hora mundificationis eius, et prouocatio ſpermatis ex dextro, qui eſt calidior, et altior, & propinquior hepati. Et ſimiliter quando cadit in dextro matricis. Et ſimiliter ſperma mulieris in proprietatibus ſuis, et in parte ſua, et regio frigida, et tempus frigidum; et ventus ſeptentrionalis adiuuat ad maſculinitatem, et contrarium ad contrarium. Et ſimiliter ætas adoleſcentiæ abſque pueritia, et ſeneɖtute. Et dicunt quidam, quod ſi currit à dextro viri ad dextrum eius, maſculinat: ex duobus ſiniſtris fœmininat: et ſi currit ex ſiniſtro eius ad dextrum ipſius, erit fœmina maſculina, et ex dextro eius ad ſiniſtrum ipſius, erit maſculus fœmininus. Et dixerunt quidam de illis, qui loquuntur ſiue ratione, quod prægnatio à die ablutionis eſt cum maſculo vſq; ad quintum, et eſt cum puella, vſq; ad oɖtauum; deinde eſt cum maſculo

vſq;

vſq; ad vndecimum,deinde eſt cum hermaphrodito. Et ſanguis prægnantis cum maſculo calidior eſt plurimum, quam prægnantis cum fœmina. Et cap.13. Prægnans habens maſculinum eſt melioris coloris, & pluris leuitatis,& agilitatis,& mundioris facieri,& ſanioris appetitus,& quietorum accidentium, & ſentit grauedinem lateris dextri; plurimum enim generatur maſculus ex ſpermate expulſo ad dextrum duorum laterum colli matricis:&non accidit illud niſi aut propter deſiderium illus lateris ad recipiendum, aut quoniam expulſio eſt ex teſticulo dextro. Et quando mouetur fœtus maſculus, mouetur ex latere dextro; plurimnm enim cum incipit mammilla augmentari,& alteratur color, fit in ea,quæ habet maſculum,ex latere dextro,&proprie papilla dextra, & ad ipſam currit Lac in primis,& prouocatur in primis. Et eſt lac, quod mulgetur ex vbere eius, groſſum, viſcoſum,& non tenue,aquoſum,ita quod lac maſculi deſtillatur ſuper ſpeculum, & conſideratur id ipſum in ſole, & remanet quaſi ipſum fruſtum argenti viui, aut granum margaritæ, non currens,neq; protenſum. Et augmentatur pupilla in habente maſculum in rubedine,non nigredine vehementi: & fiunt venæ pedum eius rubræ,non nigræ.

Et dixerunt quidam, quod quando moue-uetur à ſtatione, mouet prius pedem dextrum; & eſt expertum: & cum erigitur, ſubſtentatur ſuper manum dextram: & eſt oculus eius dexter leuioris, & velocioris motus. Et maſculus mouetur poſt tres menſes, & fœmina poſt quatuor menſes. Et dixerunt quidam, de ingenijs eſt in cognitione illius, vt ſumatur Ariſtolochiæ aure: i. & teratur, & conficiatur cum melle, & ſupponatur cum lana viridi a mane vſq; ad meridiem, & in ieiunio: tunc ſi dulceſcit ſaliua eius, eſt concipiens maſculum: & ſi eſt amara, tunc eſt prægnans cum fœmina, & ſi non alteratur, tunc non eſt prægnans. Et in hac cauſa eſt conſideratio, & indiget experimento, vel multa perſcrutatione in ſcientia ſua. Signa autem fœminæ, & quæ prægnans eſt cum filia, ſunt contraria illis. Et ex eis, quæ verificant eſt multitudo vlcerum pedum, & proprie in tribijs, & multitudo apoſtematum eorum. Et quandoq; eſt prægnans cum maſculo, ſed non eſt maſculus niſi debilis, & eſt laſſus, & ſunt peiores diſpoſitiones, & dexteriores ſignificationes, quam in prægnante cum fœmina forti. Et enixa maſculum conſumit partum eius in 25. diebus vſq; ad 30. niſi ipſa ſit ægra, & fœmina ex 35. vſq; ad 40. & illud fit ſecundum

dum plurimum. Hæc Auic. ex quibus ſatisfactum videtur noſtro quæſito. Nunc ad aliud cap. accedamus.

DE STERILITATE, Et fœcunditate. Cap. XIII.

STERILITATIS nunc cauſa quęrenda eſt, & fœcunditatis: cum vero contrariorum eadem ſit diſciplina, cognitisq; ſterilitatis cauſis fœcunditatem impedientibus conſequenter etiam fœcunditatis cauſæ dignoſcantur, non nulla de cauſis ſterilitatis in medium afferemus. Et ex Hip. quidem habemus lib. de aere loc. & aq. aliquando tam viros, quam mulieres ex inciſione venarum poſt aures ſteriles fieri, dum inquit; Venæ enim retro aures ſunt, quas ſi quis ſecet, ſterilitatem inferat. Cuius rei cauſa eſt ex eo. Hip. quia à capitis vaſis plurimum ſeminis aduenit, & ex cicatrice tranſitus obſtruitur. In principio vero lib. de ſteril. plures affert cauſas, nempe vteri auerſionem à pudendo, & eius diſtortionem, nimiamq; concluſionem, nimios menſes, vel pauciores, vteri etiam leuitatem ſiue ex natura, ſiue ex vlceribus cicatrices relinquentibus, nimiumq; vteri hiatum. Cuius hæc ſunt verba. De his quidem, quæ accidunt

mulieribus in ſingulis affectionibus, prius dicendum eſt. Nunc autem oſtendam ob quas cauſas mulieres omnino ſteriles fiunt, & cur non pariunt, antequam ſanentur. Cauſam vero hanc eſſe dico, ſi os vterorum omnino auerſum fuerit à pudendo, non concipiunt; non enim ſuſcipiunt vteri genituram, ſed ſtatim foras exit: contingit autem hoc etiam ſi parum diſtortum fuerit os vterorum præter naturam à pudendo. Et ſi omnino concluſum fuerit os vterorum, neq; ſic ſuſcipiunt: neq; ſi recens concluſum fuerit magis, quam oportet. Singula vero relata manifeſta ſunt; etenim ſi omnino auerſum fuerit, aut concluſum, menſes non prodeunt omnino, aut prodeunt violenter cum morbo, ſi ſanguis coegerit vteros pro more conuerti. Et ſi purgata fuerit mulier, aliquando os vterorum ipſi à pudendo auertitur: ſi vero parum diſtortum, aut recens concluſum fuerit, prodeunt quidem menſes, prodeunt autem violenter, & paulatim per multos dies. Hæc autem omnia manifeſta fiunt, ſi ſic habent, contingenti mulieri, & ſi horum aliquid fuerit, curata mulier fœcunda fit: quandoq; vero etiam ſua ſponte. Dictum autem eſt & in muliebribus morbis. Si leues fuerint vteri (contingit autem hoc & ex natura quibuſ-

dam

dam; & ſi vlcera innata magnas cicatrices reliquerint. Si leues igitur vteri fuerint, mulier in ventre non concipit; nam genituram ſuſcipiunt quidem vteri, ſi non alia aliqua cauſa obſtiterit, non autem concipiunt, ſed ſemen foras emittunt. Hoc autem maxime clarum fit contingenti, & ſi interrogetur, an aliquando vlcera in vteros ipſi oborta fuerint: menſes vero ſano quidem modo prodeunt in hoc morbo: verum talis plerunq; incurabilis eſt, vt in ventre non concipiat. Si vlcus in vteris factum fuerit ab affectione quadam ex relatis, & non ſtatim ſanatum, ſed impurum factum fuerit, permanet vlcus ad multum tempus, quemadmodum & id, quod in aure exiſtit: & male olet mulier, & quandoq; ſanies male olens ipſi ex pudendo fluit: & quandiu ſane vlcus habuerit, in ventre non concipit: non enim concipiunt vteri genituram: huic autem menſes ſano modo procedunt: verum ex contactu, & interrogatione maxime clarum fit de relatis. Curata vero fœcunda fit, exigua tamen ſpes eſt. Si quid ex menſibus in vteris remanens ſciſſuram, ac ſegmentum habeat, quod circa oſculum, aut paulo penitius caleſcat, & rurſus frigeſcat, neque ſic in ventre concipit; impedimentum enim hoc incumbens genituram, quo

oportet, tranſire uon permittit. Et ſi quidem in principio curetur, ſaneſcit, & fœcunda fit: ſi vero tempus acceſſerit, ſterilis manet: manifeſta eſt autem affectio maxime ad contactum; durum enim quiddam intus eſt. Et ſi magis, quam conuenit, vteri hiarint, neque ſic prægnans fit; non enim compingitur ſemen à ſanguine morboſo, ſed ſanguis, qui à corpore morboſo deſcendit, genituram ſeroſam facit: ſeroſa vero facta genitura tempore modico, aut multo foras progreditur vna cum ſanie. Atq; hoc ex corpore mulieris, & ex menſibus manifeſtum fit; prodibunt enim dicti menſes, velut dictum eſt, ſiue bibioſa, ſiue pituitoſa, ſiue aquoſa fuerint. At breui curata fœcunda fit, ſin minus, non. Si vero mulieri menſes nõ prodeant omnino, aut ab omnibus relatis, etiam ſic non concipit; venæ enim ſanguine plenæ genituram non ſuſcipiunt, & in vteris aliquid inueterati ſanguinis ineſſe neceſſe eſt, quod genituram nutriri prohibet. Si vero pauciores, quam debeant, menſes prodeant, neque ſic prægnans fit: cauſæ vero in priore morbo relatæ ſunt: fit autem hoc manifeſtum ex interrogatione, & ſi quidem à natura pauci menſes prodeunt, incurabilis eſt: ſi vero ab affectione aliqua ex relatis, breui curata fœ-

cunda

cunda erit. Et ſi plures, quam debent menſes mulieri prodeant, neque ſic in ventre concipit; vteri enim ſanguine euacuato genituram non concipiunt præ debilitate: ſi vero etiam conceperint, ſanguis multus de repente in vteros mulieris deſcendens genituram ſuffocat: manifeſtum autem & hoc eſt ex menſibus, qui multi prodibunt. Et ſi quidem natura mulier multos menſes demittit, ſterilis fit: ſi vero non natura, ſed ab aliqua ex relatis affectione, breui curata fœcunda erit. Et ſi os vterorum ex pudendo exciderit, neque ſic concipit; nam os durum fit, & genituram non ſuſcipit, & intumeſcit, & propterea in totum infœcunda fit: manifeſta eſt autem hæc affectio ex eo, quod contingit. Et ſi non prodeant menſes, velut debent, ſed deorſum proceſſerint in ſedem, neque ſic in ventre concipit; manifeſtum eſt enim, quod os vterorum à pudendo auerſum eſt, aut concluſum, & ſi quidem ad ſedem auerſum fuerit oſculum, aut concluſum, curata fęcunda fit: vtrumq; vero ex interogatione, & reſponſione manifeſtum fit; ſi enim menſes ſemper ſic prodierint, clarum eſt, quod his morbus cauſa eſt. Atque tot, ac talia mulieribus contingunt, propter quæ non pariunt, antequam curentur, & propter quæ omnino ſteriles fiunt.

ſiunt. Quare mirari mulieres non oportet, quando coeunt quidem, non autem ſæpe pariunt. Et de his plura tum lib. de nat. muliebr. tum de morb. mulie. & de aere aq. & loc. vbi de ſcitharum impotentia loquens ſi habet. Scithæ Eunuchi, fiunt, & muliebria officia obeunt, inſtarq; fœminarũ omnia faciunt, & loquuntur vocanturque hi effœminat. Et regionis quidem incolæ cauſam ad Deum referunt, coluntque hos ipſos homines, & adorant ſibi ipſi timentes, ne quid tale accidat. Mihi vero hi affectus Diuini quidem eſſe videntur, ſicut & reliqui omnes, neq; vllum aliquem alio eſſe Diuiniorem, aut humaniorem, ſed diuinos omnes: verum vnusquisq; eorum ſuam propriã habet naturã, neq; aliquis citra naturã accidit. Quare quomodo hic affectus contingat, vt mihi videre videor, narrabo. Ab equitatione ipſa diuturni eos corripiunt articulorum dolores, nimirum propendentibus ſemper ex equis eorum cruribus, deinde claudi fiunt, contrahunturque coxendices, cum inualuerit morbus. Medicantur autem ſibi ipſis hoc modo. A principio morbi vtramq; venam retro aures incidunt quo facto ſanguine multo promanante ſomnus eos corripit præ imbecillitate, ſicq; obdormiſcunt, quorum quidem aliqui depulſo

ſomno

ſomno ſani exurgunt, aliqui vero minime. Atq; mihi ſane videtur ea medicatione ſe ipſos perdere; venæ enim retro aures ſunt quas ſi quis ſecet, ſterilitatem inferat his, quibus ſecantur. Quare id etiam ipſis ex earum inciſione accidere certum eſt. Quando igitur poſtea vxores adeunt, impotenteſq; ſe factos vident cum illis coire, primũ quidem nihil moleſtius cogitantes quieſcunt, cum autem bis, aut ter, aut amplius fruſtra opus tentarunt, neq; quicquam proficiunt, mox putant ſe Deum offendiſſe, in quem culpam reijciunt, induuntq; ſe veſte muliebri palam ſe euiratos eſſe confitentes, ad mulierumque contubernia tranſeunt earum opera tractantes. Hoc itaque malo ditiſſimi Scytharum afficiuntur, minime vero infimi: immo qui maxime & genere, & potentia præualent, ex nulla alia, quam continuæ equitationis cauſa hoc perpetiuntur, pauperes vero minus, cũ non multum equitent, &c. Et infra. Simili autem modo & reliquis hominibus euenit, vbi enim frequenter, & continue homines equitant, ibi plurimi à diuturnis doloribus articulorum, coxendicumque maxime, & pedum corripiuntur, ad coitumq; fiunt impotentes, quę omnia mala Scytharum genti adſunt. Atq; propterea Scythæ omnium hominum mi-

nime

nime ſunt ad coitum valentes. Et quod Anaxyridas(brauarum, ſiue fœminalium id genus eſt) ſemper habent, & plurimum temporis in equis deſides degunt, vt neque manu tractare pudenda liceat, atque præ frigore,& laſſitudine voluptatis, ac iucunditatis coeundi obliuiſcantur, neque prius aliud ſibi faciendum putent quam vt euirati fiant. Et idem Hip. lib. 5. aphor. text. 62. ſterilitatis cauſam ad vteri frigiditatem, ac ſpiſſitudinem,ſiccitatem, & humiditatem nimiam referebat tanquam genituram extinguentia. Et tex. 63. in marium corporum ſpiſſitudinem, vel raritatem, nimiam frigiditatem etiam, ac caliditatem. Et tex. 44. in nimiam mulierum craſſitiem, quorum omentum os vteri comprimeret. Et tex. 50. docuit modum dignoſcendi, an mulier ex ſe ſterilis ſit,nempe vt pannis circumuoluta ſuffumigetur, & ſi odor per corpus ad nares eat,& os, ex ſe ſterilem nō eſſe affirmat. Quibus ſimilia habet 5.aphor. tex.59. & 62. & lib. de ſuperfœt. Et fœminam primum lauandum eſſe ait poſt menſtruas purgationes, & galbanum igne coctum vtero applicandum,fœmineoq; ventri alliguandum, & poſtea poſt ſex, aut acto horas experiendum, an in vertice mulieris odor galbani ſentiatur,& ſi apparet,fœcunda

da eſt, ſi contra ſterilis. Quod etiam idem Hip. ex ſuffumigijs è mirrha, & aromatibus dignoſcebat. De quibus plura Auic. lib. 3. fen. 21. tract. 1. cap. 9. cuius text. adduco. In ſignis ſterilitatis ex quocunque duorum ſpermatum ſit, dicuntur res, quarum veritas non verificatur, neq; in eis aliquid iudicatur, ſicut eſt illud, quod dixerunt, quod oportet, quod experiantur duo ſpermata & proijciantur ſuper aquam, & quodcunq; illorum notat in aqua, tunc ex parte illius eſt defectus, & dixerunt, fundantur duæ vrinæ ſuper radicem lactucæ & ex illo eſt defectus, cuius vrina exiccauerit eam. Et ex hoc dixerunt, vt ſumantur ſeptem grana tritici, & ſeptem grana hordei, & ſeptem fabæ, & ponantur in vaſe teſteo, & mingat ſuper ea vnus amborum, & dimittantur ſeptem diebus, tunc ſi grana naſcuntur, non eſt ſterilitas ex parte eius. Et dixerunt, quod eſt longinquius hoc iterum: & melius eſt illud, quod dixerunt in experientia mulieris, ſcilicet, quod oportet, vt ſuffumigetur matrix mulieris, &c. Et infra. Sperma quidem ſanum eſt album, viſcoſum, ſplendidum, ſuper quod cadunt muſcæ, & comedunt de eo, & odor eius eſt odor florum palmæ, & ſambuci. Quibus aſſentitur Raſ. 22. cont. tract. 3. cap. 1. & Gal. de paſſio muli.

muli. & idem Auic. fen. 20. tract. 1. cap. 4. 5. & 6. Paul. lib. 3. cap. 74. Et de ſterilitatis cauſis multa etiam habet Auic. lib. cit. ſen. 21. tract. 1. cap. 7. cuius hæc ſunt verba. Cauſa ſterilitatis aut eſt in ſpermate viri, aut in ſpermata mulieris, aut in membris matricis, aut in membris virgæ, & inſtrumentis ſpermatricis, aut propter cauſam in principijs, ſicut triſtitia, & timor, & dolores capitis, & debilitas digeſtionis, & ſatietas nauſeatiua, aut propter errorem accidentem. Cauſa vero, quæ eſt in ſpermate, eſt ſicut malitia complexionis diuerſificantis virtutem generationis calidæ, aut frigidæ ſcilicet frigidæ ex frigore naturali, aut frigore accidente ex longa remanentia, & retentione aut humiditas, aut ſiccitas. Et cauſa illius ſunt cibi non conuenientes, & acetoſa etiã; ipſa enim ſunt in ſumma eorum, quæ infrigidant, & exiccant. Et quandoq; eſt cauſa, quæ eſt in ſpermate, ſiccitas complexionis non prohibens generationem, ſed quæ facit ipſam difficilem, aut corrumpit illud, quod aduenit matrici de alimento infantis. Et quandoq; eſt cauſa in ſpermate, vt ſit ſperma viri diuerſæ impreſſionis ei, quæ eſt in ſpermate mulieris contrarium receptrici, aut communicantis ſuper vno duorum ordinum, & non accidat interea ambo filius.

Et ſi permutet vnusquisq; ſocium ſuum, non eſt dubium, quin ſit ambobus filius. Et quandoque diuerſificantur duo ſpermata propter cauſam malitiæ complexionis in vno quoque eorum, quod cum alio non æquatur, immo addit ei corruptionem. Quare cum permutantur, inuenit vnumquodque amborum, quod æquat ipſum cum contrarietate, quare temperatur. Et de genere quidem ſpermatis, ex quo non fit generatio, eſt ſperma infantis, & patientis nauſeatiuam ſatietatem, & ebrij, & ſenis, & ſperma eius, qui plurimum vtitur coitu, & cuius corpus non eſt ſanum; ſperma enim currit ex omnibus membris, & eſt ex ſano ſanum, & ex infirmo infirmum ſecundum quod dixit Hip. & iſtæ diſpoſitiones omnes inuentæ ſunt in vtriſque ſpermatibus ſimul. Et dixerunt quidam quod de cauſis corruptionis ſpermatis viri eſt coire cum illis, quæ nondum ſunt magnæ, & hoc currit curſu proprietatum. Cauſa autem, quæ eſt in matrice, aut eſt malitia complexionis corrumpentis ſperma, cuius plurimum eſt frigus congelans eam, ſicut accidit ex patre aquæ frigidæ mulieribus per hoc quod infrigidat, & ſimiliter viris, & per hoc quod alterat partes ſanguinis menſtrui, & per hoc quod ſtringit foramina ſanguinis men-

menſtrui,quare non effunditur ſanguis mē-ſtruus ad fœtum. Et quandoque eſt cum materia. Et humiditates corrumpunt ſperma iterum per commiſtionem ſuam cum eo, aut exiccant,aut reſoluunt, aut humectant lubricantes, quare debilitatur retentiua, & eſt plurimum, aut debilitantes virtutem attrahentem ſperma, quare non attrahit ſperma cum fortitudine: aut propter conſtrictionem meatuum nutrimēti ex frigore,aut calore,aut ſiccitate,ita vt ſimiletur corijs ſiccis, aut corrumpens nutrimentum infantis, aut prohibens ipſum à peruentione, vel tranſitu per adunationem matricis vehementem propter ſiccitatem,aut frigus, aut conſolidationem vlcerum, aut carnem additam verrucoſam: aut ſicut ſiccitas dominans ſecundinæ, quare oppilantur meatus nutrimenti: & accidit ſpermati in matrice frigida,& humida, quod accidit ſemini in terris humidis paludoſis: & in complexione calida,& ſicca, quod accidit ſemini in terris,quibus eſt calx ſparſa, ſeu permiſta, aut per abſciſſionem materiei, quæ eſt ſanguis menſtruus,cum matrix defecit in attrahendo ipſum, & applicatione eius: aut eſt propter declinationem in ea,aut conuerſionem, aut vehementiam adunationis oris matricis ante partum propter oppilatio-

nem

nem, aut propter duritiem, aut carnem addicam verrucoſam, & non verrucoſam, aut conſolidationem vlcerum, & frigus conſtringens, & alia ex cauſis oppilationis, & ſiccitatem, quare non penetrat ad ipſum ſperma, aut debilitas adunationis poſt prægnationem, quare non retinet ipſum, aut multitudo adipis lubrificantis. Et quandoq; fit cum communione corporis totius, & quandoq; eſt in matrice proprie, & Zirbo, aut in matrice ſola. Et quando multiplicatur adeps ſuper Zirbum, facit compreſſionem, & conſtrictionem ſuper ſperma, & educit ipſum expreſſione ſua, & operatio eius eſt huiuſmodi: aut propter vehementiam extenuationis in corpore toto, aut in matrice: aut nocumentum in matrice ex apoſthemate, & vlceribus, & hæmoroidibus, & additione carnea prohibente. Et quandoq; eſt in ore eius res dura ſicut virga prohibens introitum virgæ, & ſpermatis: aut vlcera, quæ conſolidata ſunt, quà lenitur matrix, & conſtringirur, ſeu oppilantut orificia venarum emittentium ſanguinem menſtruum: aut aſperitas in matrice. Cauſa autem factæ in membris generationis aut eſt debilitas vaſorum ſpermatis, aut corruptio accidens complexioni eorum, ſicut cui abſcinduntur venæ auris poſterius, aut cu-

ius

ius perforatur veſica à lapide, quare communica t nocumentum membris generationis. Et quandoque abſcinditur aliquid ex neruis eorum, & facit incurrere debilitatem in vaſis ſpermatis, & in virtutibus eorum generatiuis ſpermatis, & eijcientibus ipſum. Et ſimiliter cuius contuſi fuerint teſticuli, aut emplaſtrantur cum ſucharam, aut bibit ex camphora plurimum. Cauſa autem virgæ facta eſt ſicut ſi ſit breuis in creatione ſua, aut cauſa pinguedinis viri, quare aſſumit caro plurimum eius, aut ex pinguedine ipſius mulieris, quare elongatur ab ore matricis, & non ęquatur in ea virga. Et de eis eſt amplitudo oris matricis, & non æquatur in ea virga, aut ex eis ambobus ſimul, aut propter tortuoſitatem eius, aut propter abbreuiationem chordæ, quare declinat virga ab oppoſito, quare non eijcit ſperma ad guttur oris matricis. Cauſam vero in principijs iam numerauimus; neceſſarium eſt enim, vt ſint membra digeſtionis, & membra ſpirituum fortia, ita vt fiat conceptio. Error autem accidens eſt, cum ſpermatis ſit emiſſio ante complementum, aut poſt complementum: ante complementum vero cum ſperma emittitur, eſt, vt ſint mulier, & vir diuerſi in tempore coitus, & emiſſionis ſpermatis, quare non ceſſat vnus

corum

eorum antecedere cum emiſſione ſpermatis. Si ergo fuerit anteceſſio viri, dimittat eam; & non emittat ſperma: & ſi fuerit anteceſſio mulieris, emittet vir, poſt quam emiſerit mulier, & expellitur in os matricis ex motibus, & attractionibus ſpermatis, ad quod attrahendum os ipſius matricis ſe aperitione vna poſt aliam cum attractione vehementi, quo ſentitur, cum ſperma ipſum emittitur. Et non fit illud niſi aut propter attractionem aquæ viri cum eo, quod currit ex ea ex vaſis ſpermatis eius intrinſicis in matrice effuſum ad interiora eius apud quoſdam; aut propter attractionem aquæ, vel ſpermatis ſui ipſius, ſi verum eſt, quod dicunt quidam alij, ſcilicet quod ſperma eius quamuis generetur intra ipſam, tamen effunditur ad exteriora oris matricis, deinde deglutit ipſum os matricis, & ſic motus eius ad attrahendum ſperma ſui ipſius deforis, ſtimulans ipſum apud motum ſpermatis ſui: quare attrahit cum hoc ſperma viri; non enim appropriatur illud emiſſioni ſpermatis viri. Error vero accidens poſt complementum eſt ſicut motus laborioſus ex ſaltu, aut obuiatione, quæ fit cum caſu, & velocitas eleuationis poſt emiſſionem ſpermatis, & ſimilia illis poſt conceptionem, quare lubricat: aut ſicut timor accidens,

H aut

aut aliquid ex reliquis cauſis abortus, quas dicemus in ſuo capitulo. Inquit Hip. non eſt vir omnino frigidior muliere ſcilicet in complexione membrorum ſuorum principalium, & complexione ſua prima, & in complexione ſui ſpermatis ſani, niſi accidat ex complexione accidente. Et ſcias, quod mulier, quæ parit, & impraegnatur, minus infirma eſt, quam ſterilis: veruntamen eſt debilioris corporis, quam ipſa, & velocius fit anus. Sterilis vero eſt plurium ægritudinum, & tardatur eius ſenectus, & eſt quaſi iuuenis in plurimo ſuæ ætatis. His fouet Gal. lib. de hiſto. philo. cap. 10. Aet. lib. 4. ſerm. 4. cap. 76. Raſ. 22. cont. tract. 6. cap. 1. & 24. cont. tract. 3. cap. 2. Hip lib. de ſteril. lib. de nat. pueri, de aere aq. & loc. de genit. & alibi paſſim. Et idem Gal. lib. 5. aphor. tex. 62. & 59. His igitur ita firmatis, dicere poſſumus ad conceptionem facienda neceſſe eſſe, vt mas cum fœmina non ſine voluptate commiſeat, & ab vtroque fœcundum ſemen eiaculetur, & ab ipſo vtero trahatur, retineatur, osque clauſum illud ſeruet, & commixtum vi conceptricis vteri excitetur, vt fœtum formet. Ex quibus patet ad conceptionem requiri quædam communia fœminæ, ac mari, vt generatio ſeminis; ad quam opus eſt bona cor-

poris temperatura ex Gal. 5. aphor. tex. 63. ac etiam florenti ætate Gal. lib. 2. de ſan. tuen. cap. 2. & lib. 14. de vſu part. cap. 4. pueri enim ſemen non emittunt, quia nimirum ex augeſcentia illud non habent, ſicut nec plantæ: in ſenectute vero calore egent, qui fœcundum ſemen efficiat. Vnde Plato in lib. de Republ. ſuadet, vt mas cum fœmina ab anno 30. ad 40. copuletur. Requiritur etiam ſeminis eiaculatio (ad quā ſatis conducit virgæ proportio) quæ fit ſecundum Gal. lib. 5. aphor. tex. 65. non à ſpiritu propellente, ſed a tenſione vaſorum ſemen ſpiritu commixtum comprimente: quæ quidem eiaculatio eodem tempore fieri debet ad optimam conceptionem, tunc enim optima fit mixtio, & ſemen vnum ab altero fouetur. Ex Gal. cap. 7. lib. 1. de ſem. Neceſſaria videtur etiam voluptas ex communi ſententia, ad quam efficiendam ſeroſa materia concurrit ex Gal. cap. 9. lib. 14. de vſu part. concurritq; etiam humor ſpermatiſimilis in locis prope collum ceruicis genitus, quos paraſtatas appellant, aiuntque exquiſito ſenſu præditas, ex quibus voluptas oriatur. Ex parte etiam mulieris requiritur præſertim, vt ſemen in vterum trahatur, detineatur, & illi inhæreat. Ex Gal. lib. 1. de vſu part. c. 3. & Hip. lib. de ſuperfœt. Et hæc de his ſatis.

DE GEMINO FOETV. Cap. XIV.

CONSEQVITVR, vt de gemini fœtus cauſis verba faciamus. De qua re Auic.lib.3. fen.21. tract.1. cap.2. ſic teſtatus eſt. Et cauſa quidem in geminis eſt multitudo ſpermatis, ita vt non ſpargatur ad duos ventres matricis ſparſione replente quemlibet ipſorum ventrium ſecundum ſingularitatem. Et quandoq; accidit propter diuerſitatem expulſionis duorum eiectionum, quando peruenit illi diuerſitati motus matricis in attractione; nam matrici apud attractionem acccidunt motus ſubſequentes, ſicut illi, qui deglutit buccellam poſt buccellam, & ſicut reſpirat piſcis emittendo reſpirationem poſt reſpirationem; quoniam ipſa etiam expellit ſperma ſuum ad fundum matricis cum impulſionibus plurimis, & eſt vnaquæq; impulſio cum attractione ſpermatis deforis, cum qua attractione matrix deſiderat aggregationem inter duo ſpermata, & illud eſt res, quam ſentit ille, qui ex coeuntibus eſt indagator ſollicitus; & ſciunt illud iterum ipſæ met mulieres. Et illæ impulſiones, & attractiones ſingulares non ſunt puræ, immo ſunt cum

motu

motu iectigatiuo, quaſi vnaquæq; earum ſit compoſita ex motibus, ſed illæ non complentur niſi apud numerum iectigationum, immo ſentitur poſt omnem ſummam iectigationum quies quædam, deinde redit in quietem ſimilem ei, quæ eſt inter eiectiones, cum virga eijcit ſperma, & eſt omnis viciſſitudo ſecunda debilioris virtutis, & minoris numerationis iectigationum, & fortaſſe ſunt vices vltra tres, aut quatuor, & propter illud multiplicatur delectatio ipſarum mulierum, ipſæ enim delectantur ex motu ſpermatis, quod eſt in eis, & delectantur ex motu ſpermatis viri in ore matricis eorum deſcendendo ad ventrem matricis: immo delectantur propter ipſum motum, qui accidit matrici. Et non verificatur ſermo dicentis, quod earum delectatio, & complementum conſtat in deſcenſu ſpermatis viri, ac ſi quando non deſcendit ſperma viri, tunc non delectentur ipſæ ſui ipſius ſpermatis emiſſione: & quod ſi vir emittit ſperma, & matrici earum non accidant motus iſti, & non quieſcant ab eis, tunc ipſæ non inueniunt delectionem aliam à delectatione parua, cui ſimilis eſt etiam viris ante motum ſpermatis ipſorum, ſimilis, vel proportionata motui, & titillationi, & commotioni, quæ ſit in emiſſione alguadi. Neque

ſermo eſt verus dicentis (contra Hip. dicit lib. de genit.) quod cum ſperma viri ſuper matricem funditur, extinguit eius calidita-tem; & ſedat ipſius inflammationem, ſicut aqua frigida, quæ effunditur ſuper aquam calidam bullientem; hoc enim non fit niſi ſecundum modum, quem diximus, cum ipſę mulieres emittunt ſperma ſuum, & deglutiunt ſperma viri, cum deſcendit; in alia enim hora non fit vehementia delectationis, de qua ſit curandum: & quandoque conuenit proiectio ſpermatis maſculi cum effuſione ſpermatis mulieris: quare permiſcentur ambo, & ad illam ſubſequuntur proiectiones ſimiles illi vice vna poſt aliam quare impręgnatur mulier ex ventribus numero pluribus, cum vnaquæque permiſtio ſeparata ſit per ipſam. Et quandoque ſunt permiſtiones vtrorumque ſpermatum ſimul, deinde abſcinditur, ſeu ſeparatur illud permiſtum in partes, aut abſcinditur vnum antecedens cauſa ventoſitatis, aut iectigationis, aut alterius rei ex cauſis ſeparantibus: quare diſtinguitur vnaquæque illarum ſecundum ſingularitatem ſuam. Et quandoque fit illud poſt texturam panniculi, & fit multitudo embryonum in re vna, & hoc eſt ex eis, quorum generatio non completur, neque conſequitur vitam:

& quandoque fit ante illud, & quæ currunt hoc curſu, veriſimile eſt, quod ſit paruæ vtilitatis, ſeu paruæ vitæ. Et vtile quidem non eſt, ſeu non viuit, niſi illud, quod eſt, ſeu cadit in radice diſtinctum. Et adhuc ſperma virile ſolum eſt non exuberans, neque implens matricem, neque perueniens ad partes eius 4. ita vt continuetur cum eo ſperma mulieris ex duobus additamentis, quæ ſunt duo cornua ſimilia oſſis dactilorum. Et cum permiſcentur duo ſpermata, fit ebullitio prædicta, & creatur veſicatio, & panniculus primus, & ſuſpenditur ſperma totum tunc cum additamentis orificiorum venarum in panniculo ſecundinæ, & inuenitur illic, quod alit ipſum, dum permanet ſperma, vſque quo ſumat ex ſanguine menſtruo per vmbilicum quantitatem ſibi ſufficientem ex foraminibus, ſeu orificijs venarum, cum quibus continuatur panniculus generatus. Et ſecundum Gal. quidem iſte panniculus eſt ſicut linimentum, quod creat ſperma mulieris, cum ipſum effunditur illuc, vbi effunditur ad ad ipſum ſperma viri: & ſi non permiſcetur cum eo, tunc tamen ſeparatur, vel deſcernitur apud permiſtionem. Et quandoque recipit mulier, & equa ſperma ſuper ſperma, & delectantur ambæ ſimul. Partus vero

ro non fit, niſi cum fœtui non ſufficit, quod ei emittit ſecundina ex ſanguine, & quod peruenit ad ipſum de attractione aeris, cum membra eius iam completa ſunt. Mouetur ergo tunc apud ſeptimum ad exeundum, cum in eo completur virus: & cum deficit, aduenit ei debilitas quædam, & non redit ad ipſum cum ea virtus vſque ad nonum. Quod ſi egrediatur in octauo, & eſt debilis, tunc non ſtimulatur ad egreſſionem à virtute faciente naſci: immo ex cauſa alia ſtimulante ad egreſſionem lædente non debili, &c. Et his fouet Gal. tum lib. de opt. corp. conſtit. tum lib. 1. de ca. ſimpt. cap. 6. & 7. & lib. 1. de ſem. cap. 7. lib. 15. de vſu part. cap. 4. & de anatom. viu. cap. 52. Raſ. 22. cont. tract. 6. cap. 1. Hip. lib. nat. pue. & Ariſt. 4. de gen. animal. capit. 4. & 5. & lib. 9. de animal. cap. 10. & lib. 7. cap. 4. Et idem Auic. infra lib. cit. cap. 17. de ſuperfœtatione, & gemino fœtu loquens ſic inquit. Cauſa earum eſt multitudo ſpermatis, & diuiſio ipſius in duo, & quod eſt ſupra, & eius caſus in duos ventres. Et incolumitas duorum filiorum etiam geminorum non eſt plurima: & parum ſunt inter geminos dies plurimi; ipſi enim ſecundum plurimum fiunt ex coitu vno, & parum contingit, quod

quod ex coitu ſuper prægnationem fiat conceptio; nam ſi fit conceptio, fit in mulieribus, quæ corpora carnoſa, & pinguia habent, & ſunt multorum pilorum, & multi ſanguinis propter multitudinem caliditatis earum. Et ſunt illæ, quæ fortaſſis viderit ſanguinem in imprægnatione, & non curant de eo propter virtutem earum, & fortitudinem matricis ipſarum, & non abortiuntur cum menſtruis, & cum apertione eius, quod emittitur in matrice. Et quandoque menſtruantur ſuper impregnatione numero duarum menſtruationum, & ſupra. Quod ſi cadat imprægnatio ſuper imprægnationem in non valde forti, & in ea, quæ non concipit niſi propter apertionem oris matricis ſuæ, non propter fortitudinem ſuæ matricis, timetur, quod ſit filius primus iam debilitatus, quare corcorrumpitur ſecundus. Et iterum in fortibus timetur latus caſus litigij, & compreſſionis inter duos filios. Et illud quidem plurimum perducit ad febrem, & inflammationem faciei, & aduentum ægritudinum, ad hoc vt abortiatur vnum eorum. Et de ſignis quidem geminorum, & qui ſupra ſunt, ſecundum quod dixerunt, & expertum eſt, eſt, vt conſideretur vmbilicus nati primi continuus cum fœtu: tunc ſi

non fuerit in ipſo ruga, neque nodus, non erit poſt natum primum filius: & ſi fuerint in ipſo rugæ, tunc prægnatio erit ſecundum numerum rugarum. His concordat Gal. de defi. med.49. Ariſt. de gen. animal. cap. 4. & 5. Raſ. 22. cont. tract. 6. & 7. cap. 1. & Hip. lib. de nat. fœtus, vbi hæc habet. Gemelli autem fiunt ab vno coitu hoc modo. Vteri ſinus frequentes, & curuos habent, alios remotiores, alios propinquiores pudendo: & animalia, quæ multa gignunt, plures ſinus habent, quam ea, quæ pauca. Similiter autem habent & pecora, & feræ, & volucres. Vbi itaq; contigerit genituram findi, & in duos ſinus peruenire, & vteri genituram ſuſceperint, & ſinus alter ad alterum non hiauerit, nec dimiſerit, ſegregata genitura in vtroque ſinu pelliculas inducit, & viuificatur eadem modo, quo vnus fœtus: quapropter vero id fiat, diximus. Quod vero ab vno coitu gemelli gignantur, hoc teſtimonio conſtat. Eſt canis, & ſus, & alia animalia, quæ ab vno coitu pariunt & duo, & plura, & vnum quodque animal in vtero in ſinu, ac pellicula exiſtit: atque hæc ipſi fieri videmus, & hæc omnia eodem die vt plurimum pariunt. Sic autem & mulieri ab vno coitu gemelli facti vterque in ſinu, & pellicula

no: eſt,

eſt, & eodem die vtrumque parit, & alter prius foras procedit, & pellicula ipſius, ſiue ſecunda. Quod autem gemelli fœmellæ generantur, hoc cauſæ eſſe ſentio. In muliere, & in viro, & in omni animali, in ſingulis & debilior, & fortior genitura ineſt, & non ſemel, ac ſimul genitura procedit, ſed & bis, & ter ebullit, ac eiaculatur, & non eſt poſſibile omnem eſſe fortem, tum quæ prius exiuit, tum quæ poſterius: in vtrum autem ſinum craſſionem, ac fortiorem genituram ingredi contigerit, illic maſculus gingitur: in vtrum vero rurſus humidiorem, ac debiliorem, illic fœmella generatur. Si vero in vtrumque fortis ingredietur, ambo maſculi fient; ſin debilis, ambo fœmellæ. Atque hic ſermo ſic relatus totus finem habet. Quæ adeo vera ſunt, vt non deſint auctores teſtantes aliquando vltimam eiaculationem adeo eſſe debilem, vt ex geminis alter maſculus aliquando oriatur, alter vero monſtrum, & quandoque etiam molam, teſtantes de experientia mulierem peperiſſe ſimul fœtum integrum, & monſtrum, & alteri poſt fœtum integrum manaſſe molam, ijs id euenire arbitrantes, qui nimium veneri indulgent. Et de fœtu duplici diuerſo temporis interſtitio orto teſtatur Solinus lib. memorab. cap. de ho-

mine,

mine, vbi ſic habet. Compertum & illud eſt, quod inter duos conceptus cum interceſſerit paululum temporis, vterque reſidet, ſicut in Herculè, & Iphicle apparuit fratre eius, qui geſtati eodem onere, interuallis tamen, quibus concepti fuerant, nati videntur. Et de Proconiſſa ancilla, quæ è duplici adulterio geminos edidit vtrumque patri ſuo ſimilem, &c. vbi multa mira habet de fœtibus, & hominibus, referens Zoroaſtem eadem hora riſiſſe, qua natus eſt, & alios nec rictaſſe vnquam, nec ſpuiſſe, nec ſudaſſe, aut ſitiſſe, qualem Syracuſanum appellat. Et iterum Hip. 5. de morb. vulg. teſtatur in Lariſſa mulierem peperiſſe filiam, & quadrageſima die à partu ſuperfœtationem exciſiſſe nempe carunculam quandam, & lib. 4. refert Acheloi vxorem ſexta die abortiuiſſe, & maſculũ aliũ ad dies viginti peperiſſe. Et lib. de ſuperfœt. cũ ſuperfętauerit mulier, ſi primum puerum in medio vteri habuerit, ſuperfœtatio elabitur à primo, ac veteri expulſa. Si vero in altero cornu ſuperfœtationem habuerit, poſterius ipſum inſuper parit non vitalem, nimirum vitalitate, vbi vterus laxatus, & humectus fuerit, exoluta: ſi vero non ſtatim ſecedat ſuperfœtatio, dolores exhibet, & fluxum fœtidum, ac febrem, & facies intumeſcit, tibięque,

ac pedes, & ſi pereat, cibum auerſatur, donec exciderit: ſuperfœtant autem mulieres, quarum ſtomachus, id eſt vteri os, poſt primam conceptionem non clauditur ita valde, idque apparentibus ſignis conſtat: clauditur autem poſt ſuperfœtationes, quæ poſterius inſuper pariuntur. Si ſuperfœtatio nondum partium diſcriminationem habeat, ſed caro ſit, non quidem intumeſcit, ſed putreſcit, donec ex vtero exeat. Si cui exeat ſecunda pueri in vtero, prius quam puer foras procedere incipit, ægre parit: & adhuc magis periculoſe, ſi caput non præcedat. Si vero alicui vna cum ſecunda puer foras exierit, & ad ſtomachum, id eſt, os vteri progreſſus rupta ſecunda emerſerit, magis facile parit. Itemq; ſi puer quidem foras prodit, ſecunda vero adhæreſcit, & ſe ipſam retrahit, atque iſtic manet. Cum puer non vitalis futurus naſcitur, caro ipſius vngues ſuper eminet: vngues vero tum in manibus, tum in pedibus deficiunt, &c.

DE PARTVS DIFFICVLTATE. Cap. XV.

PARTVS difficultas nunc expendenda eſt, cuius tractationis magnus eſt vſus tum ad partus, tum ad parientis conſeruationem.

Cautum

tionem. De qua re Paul. lib. 3. cap. 76. Pariendi difficultas vel parturientis, vel fœtus, vel loculi, vel à foris euenientium vitio accidit: parientis quidem, ſi nimium craſſa, & præpinguis, aut vulua tota iuſto arctior ſit, aut dolorum imperita, aut pauida, aut inflammationem circa vterum, aut alijs partibus experta, aut quocunque alio modo affecta, aut ſuapte natura imbecillior, minusque ad fœtum propellendum firma, aut quia parturitionem intempeſtiue accelerauerit. Fœtus autem vitio, ſi inuſitatæ magnitudinis, aut paruitatis, & modicæ grauitatis, aut ampliſſimi ſit capitis, aut monſtrum; verbi cauſa biceps, aut mortuus, aut viuens quidem, ſed imbecillis, neque potens in lucem progredi, aut numeroſi fœtus; quinos enim ſimul editos aſſerit Herophylus; aut ſi naturæ contrariam habuerit in vtero figuram; naturalis enim naſcentis figura eſt, prima quidem in caput vergi, manibusque in fœmora protenſis, procliui directe ad orificium capite: proxima vero, ſi fœtus recta in pedes conuerſus eſt. His exceptis reliquæ omnes parturiendi formæ præter naturam ſunt. Vitio autem loculi partus redditur difficilis: ſi propter craſſitatem non auellatur, vel ſi ante quam cõueniat, præ nimia tenuitate abrumpatur, euacuato namq;

humore

humore fœtus propter ariditatem ægerrime delabitur. Ex his, quæ foris occurſant, ægra fit parturitio, vel frigore, quod vterum condenſauit, vel calore immodico, qui vires deiecit, aut alio quopiam euentu fortuito incurſante. Auic. lib. 3. fen. 21. tract. 2. cap. 21. Difficultas partus aut fit cauſa prægnantis, aut cauſa matricis, aut ſecundinæ, aut cauſa vicinantium, & communicantium, aut cauſa horæ partes, aut cauſa obſtetricis, aut propter cauſas primitiuas. Facta vero cauſa prægnantis eſt, vt ſit debilis paſſa ęgritudines, aut famen, aut ſit timida, aut non conſueta imprægnationi, aut partui: immo tunc eſt primum, cum parit, quare eſt timor eius maior: & dolor ipſius vehementior, aut eſt anus debilis, aut eſt plurimæ adipis, aut eſt vehementis pinguedinis habentis ſtrictum almazen, cuius mazen non dilatatur, & non fortificatur, vel non eſt potens ſuper compreſſionem, & expreſſionem vehementem ad matricem cum lacertis ventris, & eſt paruæ tolerantiæ in dolore, & eſt vehementis permutationis, & inquietudinis: quare perducit illud ad cauſam aliam, & eſt alteratio figuræ infantis ab eo, quod conuenit. Facta autem cauſa fœtus aut eſt propter genus eius (fœmina enim penitus eſt difficilioris partus, quam maſculus) aut

eſt propter magnitudinem eius, aut magnitudinem capitis eius,aut groſſitudinem corporis eius,aut propter multam eius paruitatem,aut leuitatem, quare non deſcendit cũ fortitudine, aut propter alterationem creaturæ ab æqualitate, quæ eſt facilis lubricitatis,ſicut ſi ſit ſicut ille,qui habet duo capita,aut qnem comprimit numeratio embryonum;fortaſſe enim in ventre vno ſunt quinque, immo quandoque numeratio maior illa,qui parui ſunt, & diuerſi. Et quandoq; eſt numeratio plurima valde in ciſti vna. Et quandoque eſt difficultas propterea quod eſt mortuus, quare non ſit ei adiutorium propter motum eius: aut eſt debilis, & fit paruum adiutorium propter motum eius. Et quandoq; fit difficultas propterea quod eius exitus eſt non naturalis, ſicut ſi egreditur ſuper pedes ſuas, aut ſuper latus ſuum, & manus ſuas, aut egreditur curuatus,ita vt pedes declinent verſus faciem, aut egreditur ſuper genua, & coxas: & illud fit propter corruptionem motus embryonis, aut propter multitudinem inquietudinis parturientis. Et ex eis, quæ ſecuritatem faciunt eius,eſt, vt ſint accidentia partus, & dolor decliuia ad inferiora,& ſit anhelitus bonus. Facta vero cauſa matricis eſt, vt matrix ſit parua, in qua coanguſtatur motus fœtus,

aut

aut ſit ſicca valde,in qua non ſit lubricitas; aut ſit os ſtrictum valde in creatione, aut propter conſolidationem ab vlcerbus,& reliquis ſpeciebus conſtrictionis: aut ſit in ea aliqua ægritudinum malarum, ſicut phlegmon,aut vlcera,aut rhagadiæ, aut hæmorrhoides in matrice. Aut fuit iam clauſa, quare ſciſſum fuit ſiphac ab ore matricis ſciſſione non completa, quare eſt eius diſpoſitio ſicut diſpoſitio conſtrictionis oris matricis in creatione. Facta autem propter ſecundinam eſt,vt ſecundina non diſrumpatur propter groſſitudinem ſuam, quare non aperiat fœtus euaſionem: aut ipſa rumpatur velociter, & egrediantur humiditates plurimæ ante complementum fœtus, quare non inueniat lubricitatem. Facta vero cauſa vicinantium, eſt, vt ſit in veſica apoſtema,aut nocumentum aliud ex retentione vrinæ, & alijs: aut ſit in inteſtino fęx ſicca plurima,aut apoſtema,aut colica alterius generis,aut hęmorrhoides,aut rhagadię ani, & ſicut ſi ſint ilia mulieris ſubtilia. Facta autem cauſa horæ partus eſt,vt ſit fœtus velox ad conatum partus,& ſit fortis in eo, & non acciderit ei nocumentum, & fiat res difficilis ei,ſicut ſæpe contingit illud,immo accelerat,quare accidit,vt difficultetur partus; quoniam virtus quamuis ſit fortis ſe-

cundum neceſſitatem, tamen eſt debilis ſecundum accelerationem, vel conatum: facta autem propter cauſas primitiuas eſt, ſicut ſi forte fiat frigus, quare fortis fiat conſtrictio membrorum partus; & propter illud multiplicatur in regionibus ſeptentrionalibus, & in ventis ſeptentrionalibus, & fit in regionibus, & temporibus frigidis difficilior. Et quandoque perducit huiuſmodi difficultas ad diſruptionem ventris, & rupturam mirach. Aut fortis fiat calor, quare fortis fit mollificatio virtutis: aut adueniat ei triſtitia. Et ſicut ſi mulier ſit plurimum vtens aromaticis, & adoramento aromatum, & fiat matrix eius aſſiduæ attractionis ad ſuperiora: quapropter non oportet apud difficultatem partus, & caſum virtutis, vt olfaciat aromatica ſupra exigentiam neceſſitatis in reductione virtutis, ſi cadat. Et multoties perducit difficultas partus ex cauſis prædictis, & ex frigore conſtrictiuo, & inſpiſſatiuo ad hoc, vt rumpantur venæ in pectore, & pulmone, quare perducit ad ſputum ſanguinis, & tuſſim, & pthiſim. Et quandoque perducit ad inciſionem neruorum, & lacertorum propter vehementiam eius, quod accidit de tenſione cum paucitate conuenientiæ ad exitum propter defectum lenitatis, & lubricitatis: quare perdu-

cit

cit ad ſpaſmum, Et quandoque peruenit res in quibuſdam earum ad hoc, vt findatur mirach ventris, & illud eſt, quando ſuperfluit inſpiſſatio. Hæc Auic. quibus fauet Aet. lib. 4. ſerm. 4. cap. 22. Hip. de nat. pue. & de morb. muliebr. Raſ. 22. cont. tract. 7. cap. 1. Alzar. lib. pract. tract. 25. ſect. 2. c. 10. Ser. tract. 5. cap. 36.

DE ABORTV.

Cap. XVI.

ABORTVS cauſas multas adducit Auic. lib. 3. pluries cit. cap. 8. dum, inquit. Cauſæ abortus aut ſunt primitiuæ ex percuſſione, aut caſu, aut exercitio ſuperfluo, aut ſaltu vehementi, & proprie ad poſteriora, vel retro; ipſe enim multoties facit deſcendere ſperma conceptum viſibiliter: aut aliquid ex paſſionibus animalibus, ſicut ira vehemens, aut timor, aut triſtitia. Et ex frigore aeris, & caliditate eius ſuperfluis. Et propter hoc genus aborretur prægnanti prolongatio balnei ex hoc, quod magnificatur anhelitus eius; balneum enim licet abortiri faciat proprer lubricitatem, facit tamen abortiri, propterea quod facit fętum indigere aere frigido. Et quandoque prouenit ex debiliate eius propter defectum, &

mollificationem ipſius, propter cauſam reſolutionis, & ex nocumentis corporeis, & ex ægritudinibus, & aſcham, & fame vehementi,& euacuatione humoris, aut ſanguinis plurimi per medicinam, aut phlebotomiam, aut ex ſe ipſo, & ex fluxu ſanguinis menſtruorum plurimi. Et quanto magis filius eſt maior,eſt nocumentum cum phlebotomia in ipſo plus: aut ex repletione vehementi: aut ex ſatietate nauſeatiua plurima corrumpente nutrimentum fœtus, & oppilante via ad eum: aut ex multitudine coitus mouente matricem ad exteriora, & proprie poſt ſeptimum. Et multitudine balneationis, & ablutionis lubricante, & mollificante matricem, & faciente abortum, licet balneum abortiri faciat cauſa mollificationis virtutis, & quia facit fœtum egere aere frigido,ſecundum quod diximus. Iſti ergo ſunt ordines cauſarum primitiuarum. Et quandoque fit à cauſis propter fœtum, ſicut eſt mors eius propter aliquam cauſam mortis eius: quare expellit eum natura, & proprie quando currit ex eo res virulenta,quæ mordicat matricem,& lædit eam,vel ſicut eſt debilitas eius, quare non firmatur: aut propter panniculos, & inuolutiones, quibus continetur. Cum enim abrumpuntur, & nollificantur, & effunditur

tur

tur ex eis humiditas eorum lædit matricem, & mouet eam expulſiua, & adiuuat iterum ad lubricitatem. Aut propter cauſam matricis de amplitudine oris eius, & paruitate adunationis eius, ex humiditatibus in matrice, aut in orificijs venarum lubrificantibus, & grauantibus. Et quandoque fit propter reliquas ſpecies malitiæ complexionis in matrice ex calore, aut frigore, aut humiditate, aut ſiccitate, & paucitate nutrimenti fœtus. Et quandoque fit ex ventoſitate in matrice, & ex apoſtemate, & eriſipela, aut duritie, aut cancro. Et quandoque fit ex vlceribus in matrice. Et plurimum abortus facti in menſe ſecundo, & tertio fit ex ventoſitate, & humiditatibus ſuper orificia venarum, quæ ſunt matricis, quæ nominantur foramina, ex quibus contexuntur venæ ſecundinæ. Cum ergo humectantur, molliſicantur ipſæ, & illud, quod ex eis texitur: quare fit abortus fœtus ex quolibet motore, aut ex ventoſitate, aut grauedine. Et quandoque eſt cauſa malitia complexionis calidæ exiccantis, aut frigidæ congelantis. Et iterum ex eis, quæ abortiri faciunt in initio rei, eſt tenuitas ſpermatis in radice, quare non creatur ex eo panniculus primus niſi debilis præparatus ad diſrumpendum, cum hoc quod ipſe

attrahit ſanguinem. Et in ſexto, & qui ſunt poſt ipſum ex humiditatibus diſpertitis in matrice, lubricantibus fœtum. Et dixerunt quidam, quod ſit plurimum illius ex ventoſitate, & veritas eſt iſte ſermo. Poſt ſpatium vero notum plurimum abortus nõ ſit niſi ex debilitate lædente. Et dicitur, quod illa, quæ eſt vehementer extenuata, cum impr æ gnatur, abortitur, antequam groſſeſcat; quoniam corpus recipit de cibo ad ſui rectificationem, & reditionem ſuæ virtutis, taliter quod non ſuperfluit embrioni, quod ipſum nutriat, quare debilitatur. Et in regionibus quidem valde frigidis abſque æqualitate, & temporibus frigidis valde multiplicatur abortus, ſimiliter difficultas, & ſimiliter mors prægnantium. Et ſimiliter in regionibus meridionalibus, & temporibus meridionalibus multiplicatur abortus, & ſimiliter in aeribus meridionalibus. Et minoratur in ſeptentrionalibus, niſi ſint frigidi vehementer lædentes embrionem. Et quando præterijt hiems auſtrina calida, & ſequitur illam ver boreale frigidum, abortiuntur prægnantes, quæ parituræ ſunt in vere, ex qualibet cauſa, & pariunt debilem. Et dolores quidem accidentes apud abortum vehementiores ſunt doloribus accidentibus apud partum;

quo-

quoniam illæ ſunt res non naturales. Similia habet Hip. 3. aphor. 12.& lib.5. tex.45. 31. 34. 53. & 44. & lib.44. Haly. 9. the. cap. 39. Raſ. 22. cont. tract. 7. cap. 1. Alzar. lib. pract. tract. 25. ſect. 2. cap. 6. Et Auic. iterum lib. citat. cap. 10. Embrionis ſuſpenſio ex matrice eſt ſicut ſuſpenſio fructus ex arbore: & ſicut maior timor, qui timetur ſuper fructum, quod cadat,eſt,aut cum incipit eius apparitio, aut cum ipſius exiſtit complementum,ſeu maturatio. Similiter quod vehementius timetur ſuper embrionem, quod abortiuus fiat, eſt apud principium conceptionis,&ante appropinquationem horæ partus; quare oportet, vt caueantur in his duabus horis cauſæ abortus prædictæ. Et pharmacum quidem ſolutiuum eſt de ſumma illarum cauſarum: quare oportet, vt caueatur eius diſpoſitio ante menſem quartum, & poſt ſeptem: & in eo quod eſt inter illa iterum, veruntamen in eo,quud eſt inter illa, eſt ſalubrius, & ad ipſum peruenitur, cum neceſſarium eſt. Et fortaſſe non erit excuſatio in quibuſdam harum horarum, quin ſoluatur, & mundificetur ſanguis eius, & non corrumpat embrionem propter malitiam complexionis: quare oportet, vt fiat cum facilitate, & ſubtilitate. Et quando etiam men-

ſtrua ante conceptionem non ſunt menſtrua neceſſaria, vel conuenientia: & remanent in ea ſuperfluitates menſtruorum eius indigentes mundificatione, & tunc ſi non mundificantur, recipit eorum corruptionem embrio. Oportet ergo, vt mundificetur illud cum ſubtilitate cum mundificatiuis ſubtilibus, non potando, ſed ſupponendo, & non ſupponant poſt os matricis, immo ſupponant in collo matricis: & non mundificetur cum eo, quod mundificat vice vna, immo vicibus pluribus, &c. Et cap. 12. Quandoque abortus in quibusdam horis neceſſarius eſt, de quibus eſt illa, quæ eſt, cum prægnans eſt puella parua, ſupra quam timetur mors ex partu. Et de illis eſt, cum in ore matricis eſt nocumentum, & additio carnis ſtringens ſuper fœtus egreſſionem, quare interficit. Et de illis eſt apud mortem fœtus in ventre prægnantis. Et ſcias, quod quando fit difficilis partus quatuor diebus, tunc iam moritur fœtus: quare occupatus ſis in vita matris, & non occuperis in vita fœtus, immo ſtude in extractione illius. Et abortum quidem quandoque faciunt motus, & quandoque faciunt ipſum medicinæ: & medicinæ quidem faciunt, quoniam interficiunt fœtum, & quia prouocant menſtrua cum

forti-

fortitudine: & quandoque faciunt cum lubricitate. Et interficientia fœtum ſunt amara, & prouocantia menſtrua iterum ſunt amara, & acuta: & lubricantia ſunt humida viſcoſa, quæ adminiſtrentur bibita, & ſnppoſita. Et ex motibus eſt phlebomia, & proprie ſuper magnitudinem fœtus, & ſuper famem: & exercitium, & ſaltus plurimi, & delatio oneris grauis, & vomitus, & ſternutatio. Et de regimine bono in illo eſt, vt intromittatur in os matricis prægnantis charta inuoluta in modum licinij, aut penna, aut lignum abraſum, vel politum; & factum acutum in modum licinij cum menſura quantitatis fruſti, vel rami ex vſnen, aut ruta, aut arthanita, aut ſerachs. Ipſa enim abortiri faciunt procul dubio, & proprie cum liniuntur ex aliqua medicinarum abortiri facientium, ſicut alkitram, & aqua, ſeu ſuccus pulpæ coloquintidæ, & ſimilia. Et de medicinis quidem abortiri facientibus aliæ ſunt ſingulares, aliæ compoſitæ, ſingulares iam diximus in tabulis medicinarum ſingularium, & cōpoſitas in Antidotario. Hic vero dicemus de vtriſq; ordinibus eas, quæ magis operatiuæ ſunt in intentione; &c. Qui vult de his plura, legat integrum Auic. tex. cit. & Raſ.22. cont. tract. 7. cap. 2.

DE MOLA.
Cap. XVII.

SVBSEQVITVR modo de mola dicere, quæ ſecundum Aetium, ideo id nomen ſortita eſt, quod ſit difficile mobilis: per quam quidem intelligimus fruſtum carnis præter naturam vita præditum, vt communiter dicunt. De qua re Hip. lib. 1. de morb. muli. Cæterum molæ conceptus hæc cauſa eſt. Cum multi menſes modicum, & morboſum ſemen conceperint, neque conceptus certus ſit, & venter plenus eſt velut prægnantis: nihil autem in ventre mouetur, neque lac in mammis generatur: mammæ autem turgidæ ſunt. Hæc igitur ad duos annos, ſæpe etiam tres ſic habet: & ſi quidem vna caro fiat, mulier perit; neque enim fieri poteſt, vt ſuperſtes maneat: ſi vero plures, erumpit ipſi per pudendum ſanguis carnoſus plurimus, & ſi hoc moderate fiat, ſeruatur, ſin minus à fluxu correpta perit, & morbus quidem talis eſt. Iudicare vero oportet ex plenitudinis mole, & quod in ventre non mouetur, nam mas timeſtris, fœmina quatrimeſtris motum habet. Poſt quam igitur tempore hoc præter greſſo non mouetur, nimirum

hic

hic morbus eſt. Eſt autem hoc magnum ſignum, quod lac in mammis non generatur. Hanc igitur maxime quidem ne curato, aut certe cum prædictione. Et his ſimilia habet lib. de ſterilibus, eiuſque morbi curationem aggreditur. Et Auic. lib. 3. fen. 21. tract. 2. cap. 18. Quandoque accidunt mulieri diſpoſitiones ſimiles diſpoſitionibus prægnantium ex retentione menſtruorum, & alteratione coloris, & caſu appetitus, & adunatione oris matricis, & quandoque eſt in ea aliquid duritiei in matrice tota, & accidit inflatio ambarum mammillarum, & repletio earum: & quandoque accidit earum apoſtematio, & ſentit in ventre ſuo motum, qui eſt ſicut motus embrionis, & magnitudinem corporis, & quæ eſt ſicut quantitas embrionis, quod permutatur dextra, & ſiniſtra. Et quandoque remanent ſic annis quatuor, aut quinq; Et quandoque protēditur vſque ad finem vitæ, & non recipit curationem. Et quandoque accidit ei ſicut hidropiſis, & inflatio ventris, ſed tendit ad duritiem, non ad timpanitem ſonantem ſono timpani. Et quandoque accidit dolor pariendi, & anguſtia, & cum hoc non parit, immo quandoque eſt cauſa in eo tenſio, & inflatio in venis menſtruæ: quare non deponit aliquid.

Et quandoque deponit fruſtum carnis; cuius eſt forma quædam, cuius ſpecies non comprehenduntur. Et quandoque eſt illud, quod egreditur, tantum ventoſitas, & quandoque ſunt ſuperfluitates aggregatæ, quare egrediuntur cum ſanguine plurimo ex eo, qui retinetur. Et mola ex omnibus iſtis eſt diuiſio ſecunda, & eadem nominata mola, & alia ab illa non dicitur mola, & nominatur Perſice naducen. Et cauſa in generatione huius fruſti carnis, ſecundum quod exiſtimatur, ſunt duæ res, quarum vna eſt multitudo materierum effuſarum ad eam cum vehementia caliditatis. Et ſecunda eſt coitus, in quo matrix comprehendit aquam mulieris, & extendit eam cum nutrimento, & propter defectum maſculinitatis non concipit. Et de ſignis decernentibus inter molam harum ſpecierum, & inter prægnationem veram eſt, quod res illa mouetur niſi in hora quadam, deinde poſt illud non mouetur: & eſt durities ventris cum ea vehementior duritie ventris prægnantis cum conceptione vera. Et ſunt mulieris manus, & pedes molles valde cum ſubtilitate eorum. Et ſigna diſcernentia inter ſpecies alias, & inter molam eſt exiſtimatio, quod eſt embrio, & ſentitur corpus adunatum in

matrice. Et multoties accidit ex motu illud, quod accidit ex apoſtemate matricis ex accidentibus colicæ propter conſtrictionem eius ſuper orbum: quare accidit dolor vehemens, licet multoties habens molam patiatur aliquid ex dolore colicæ. Et quandoque fit iuuamentum in colica molatica cum electuario de dactilis, & electuario dicto alſeriaran, & ſimilibus, ipſa enim reſoluunt ipſum dolorem, & cum hoc extrahunt molam. His aſſentitur Raſ. 22. cont. tract. 9. cap. 88. & lib. diuin. cap. 93. Aet. lib. 4. ſerm. 4. cap. 80. Paul. lib. 3. cap. 69. Ariſt. 4. de genit. animal. cap. 7. & Gal. lib. 14. de vſu part. cap. 7. & 14. meth. cap. 13. Ex his habemus molam fieri ob formationem ablatam, quæ quidem ob craſſam genituram aliquando fruſtratur ex Hip. lib. de morb. muliebr. Et citra maſculi commixtionem non gingi contendit Gal. lib. 14. de vſu part. cit. & ſi aliquando virgines molam pariant, exquiſitam non eſſe. Ariſt. autem loc. cit. molæ cauſam ponit humorem concoctu difficilem, & ſic cum alijs concordare videtur, qui craſſam genituram proponunt, cum ex eius cruditate, & craſſitie ab vtero inſuperabilis ſit. Et hæc de mola mihi dicta ſint.

DE MONSTRO. Cap. XVIII.

DE monſtro nunc dicere aggredimur. Et quidem ſicut mola ex ablata formatrice procedit, ſic monſtrum ex deprauata. Per monſtrum autem intelligo nominis inſpecta ſignificatione id, quod raro accidit, & recedit ab effectibus conſuetis non ad bonum, ſed ad malum turpe, & deforme: ſub qua ſignificatione, & hermaphroditum contineri arbitror. Generatur autem fœtus monſtruoſus, quando aliquid vtero occurrit formatricem deprauãs. Et monſtrum eſſe erratum non ratione agentis vniuerſalis, ſed particularis, & materiæ male diſpoſitæ tenet Ariſt. lib. 2. phiſ. tex. 82. & de gene. animal. lib. 4. cap. 4. Et veriſimile eſt, ſicut in arte errores fiunt ita & in natura. Et his fauet Gal. lib. de morb. ca. & lib. 2. de diebus decret. cap. 2. Sed non ideo concedendum videtur particulare agens ex ſe errare poſſe, cum vis formatrix in ſemine reſidens (quæ eſt particu lare agens) dirigatur ab agente vniuerſali, & ab intelligentia non errante, immo error ſtatuendus eſt ex parte materiæ; agens enim agit in materiam diſpoſitum, & cum

ſic agat, non errat, quin immo erraret, ſi præter diſpoſitionem materię ageret. Monſtruoſitas autē eſt vel ſecundum ſpeciem, vt quando concipiuntur animalia bruta, & ſerpentes: vel ſecundum compoſitionem, vt quando fœtus eſt humanus, ſed caput vitulinum, vel alterius animalis habens, vel quando habet ſextum digitum, vel brachium lateri adnatum (de quo Hip. lib. 5. de morb. vulg.) vel aliud quid abundans, aut deficieus. Et monſtrum quidem ſecundum ſpeciem fieri poteſt vel ſeminis, vel ſanguinis, vel vteri vitio, externis cauſis comitantibus, ſed ſeminis quidem potiſſimum, vt ſi fœminæ attrahant beſtiarum ſemen, vel ſi attrahant humanum, ſed beſtias imaginētur, in ex quo ſemini per ſpiritus talis fiat impreſſio, vt beſtię formētur. In eadem ſpecie autem fieri monſtrum certum eſt, vt de hermaphrodito patet, de quo poſtea. Secundum compoſitionem fit monſtrum ob errorem vel conformationis, vel magnitudinis, vel numeri vel ſitus: & quoad malam conformationem aliquando inęquales ſunt partes ex nimia ſeminis craſſitie, & intemperantia iuxta ea, quæ habet Gal. cap. 14. & 15. art. med. vbi arbitratur figuram ob materiæ vitium, & potentiæ imbecilitatem vitiari, nempe ex defectu

neceſſariæ qualitatis, & caloris. Ex Hip. ſententia poteſt etiam figura vitiari cauſa vteri, cum nimirum inæqualis eſt potiſſimum ſecundum ſubſtantiam. Fitque error in magnitudine aucta, quando materia abundat: in diminuta, quando deficit: vel etiam cauſa vteri magis, vel minus extenſi, & capacis: aliquando autem fœtus eſt paruus, vel magnus ſecundum totum, vel ſecundum partem: & ſi ſecundum totum arguit totalem materiæ defectum: vel abundantiam: ſi ſecundum partem arguit defectum, & impotentiam, vel è contra in illa parte, ſicut etiam dici poteſt de numero imminuto, vel aucto, licet quandoq; fœtus in vtero ægrotans octauo menſe vel claudus, vel mancus, vel aliquod aliud malum habens naſci valeat, vt teſtatur Hip. lib. de ſeptimeſtri part. quod vitium formationi tribuendum non eſt; quæ ad quadrageſimum ſecundum diem, nō amplius progreditur. Situs vero vitioſi cauſam (vt quando lien locatur in dextra, hepar vero in ſiniſtra) Ariſt. cap.4. lib.4. de gen.anim. putat eſſe impetum materiæ, vt ſi portio ſeminis, vel ſanguis, ex quo hepar confici deberet in ſiniſtrum latus feratur, & ſimilia. Supereſt nunc, vt de hermaphrodito verba faciamus.

DE

DE HERMAPHRODITO.
Cap. XIX.

HERMAPHRODITI cauſæ admodum obſcuræ videntur; conabimur tamen pro viribus ex Gal. & alijs illas adinuenire. Et quidem veriſimile videtur id contingere ex eo, quod fœtus materia, & ſeminis vis partim debilis, partim fortis exiſtat, ita vt ſicut materia inter ſe pugnat, ita & ſexus; dicebat enim Gal. lib. 2. de ſem. cap. 5. & 14. de vſu par. cap. 6. mulierum genitalia in eo differre à genitalibus virorum; quia virtus fortior viri expulerat extra membrum, quod mulieres ex virtutis, & caloris impotentia extra mittere nequierunt. Et matricem eſſe quaſi conuerſum inſtrumentum virorum, vt etiam inquit Auic. lib. 3. fen. 21. tract. 1. cap. 1. Et idem Gal. cap. 5. lib. 2. de ſem. huius rei cauſam inquirens ſic inquit. Poſſibile eſt autem, etiam ſi diſſimilarium partium ſit tale ſemen, potens eſſe, vt ex omni ſui ipſius particula omnes animalis partes efficiat; hac namque ratione ſemina ipſa differunt, quod id, quod primum elapſum eſt, aut craſſius eſt: quod vero poſtea ſequitur circa ſecundam, aut tertiam eiaculationẽ, aut te... ius, aut

aut frigidius, aut imbecillius, aut ſubſtantiæ inſiti ſpiritus minus particeps: Quemadmodum etiam vice verſa quod primum imbecillius, aut frigidum, aut ſpiritoſum exiſtit: contrarium vero ipſi id, quod prodit circa ſecundam, aut tertiam, aut quartam eiectionem: deinde ſic in permixtione prædominatur in aliquibus quidem partibus ſemen maſculum, in aliquibus vero fœmineum: vbicunque vero dominetur, ea pars dominanti aſſimilatur, etenim in omni particula materiæ opifex ſimul adeſt; neq; enim diſcretũ eſt ſeorſim quidem mouens, rurſumque ſeorſim, quod mouetur: ſed ſe ipſum mouet, & continuat ſemen, & ſane etiam augeſcit, velut antea dicebatur, alimentum ex vtero geſtante trahens. Nihil igitur miri eſt vtrique parenti natos aſſimilari circa diuerſas partes. Num igitur & ſic de genitalibus partibus eandem cauſam ponemus, quod partim maſculæ ſint, partim muliebres? Et quod maſculus toto corpore à fœmina differt non ſolum inter homines, ſed etiam vniuerſa animalium genera? &c. Et Auic. lib. 3. fen. 20. tract. 2. cap. 43. Illi, qui eſt hermaphroditus, non eſt membrum viri, nec mulieris, & de illis eſt, qui habet vtrumque, ſed vnum eorum eſt occultius, & debilius, & aliud eſt è contrario:

trario:

trario: & egreditur vrina ex vno eorum abſque altero. Et de illis eſt, in quo ambo ſunt æqualia: & peruenit ad me, quod de illis eſt, qui agit, & patitur, ſed parum verificatur hoc. Et multoties curantur per inciſionem membri occultioris, & regionem vulneris eius. Et Paul. lib. 6. cap. 69. Hermaphroditorum vitiū ex hermes, & aphrodites, hoc eſt, Mercurij, & Veneris compoſitione appellationem ſortitum eſt valde vtiq; ſexui indecorum; cum enim quatuor ſint iuxta Leonidem ipſius differentiæ, tres quidem in maribus, vna in mulieribus conſiſtit: In maribus quidem alias ſub ſcroto iuxta interfœmineum, alias in medio ſcroto genitalis fœminei pilis obſiti forma inſpicitur: tertia vero his accedit, in qua quibuſdam per eiuſdem ſcroti quaſi muliebris pudendi rimam vrina deſtillat. In fœminis vero ſupra pudendum iuxta pubem mentulæ ſubinde ſpecies inuenitur, quæ tribus quibuſdā eminētibus corporibus vno quaſi cole reliquis duabus quaſi teſtibus. Tertia illā, quę viris accidit deformitas, qua per ſcrotum vrina excernitur, conclamata, & immedicabilis eſt. Tres reliquæ curationem recipiunt partibus ſuperuacuis è medio ſublatis, & aliorum vlcerum modo curatis. Atq; hæc de propoſita materia dicta ſufficiant.

F I N I S.

INDEX
CAPITVM.

ABORTVS. fol. 131
Difficultas partus. 125
Diſſimilitudo. 83
Efficiens. 14
Externæ cauſæ fœtus. 7
Fœcunditas. 99
Forma. 16
Gemini fœtus. 116
Hermaphroditus. 145
Locus fœtus. 63
Materia. 25
Menſtruum. 45
Mola. 138
Monſtrum. 142
Nutritio. 37
Partes prius, vel poſt genitæ. 77
Partus difficilis. 125
Semen. 26
Similitudo. 83
Situs. 60
Sterilitas. 99
Tempus fœtus. 71

FINIS.

Errata notabiliora ſic corrige.

Pag. 6.	lin. 18.	poteſt poſt.
13	21	vtriuſque vtriſque.
23	3	ſen. 21 adde tract. 1.
23	10	Illuc Illud.
27	11	lib. adde 1.
32	26	Alijsq; aliqui.
18	23	circuntenditur adde enim.
53	18	pactu Partu.
91	4	Cauſa adde mihi quidẽ vna ſola reliqua eſſe videtur cõſequens ad tẽperamentum qualitatum actiuarũ,&c.
94	8	ſen. 19. ſen. 21.
97	28	Pupiila Papilla.
106	25	lauandum lauandam.
106	28	Acto octo.
111	24	conſtringitur conſtringuntur.
113	20	Sic fit.
114	15	fouet fauet.
117	30	ſit fit.

Errata notabiliora ſic corrige.

Pag 6.	lin. 18.	pereſt poſt.
13	21	vtriuſque vtriuſque.
23	3	ſeo 21 adde tract [illegible].
23	10	Illac illi [illegible].
27	11	lib. adde [illegible].
32	26	Aliqui aliqui.
18	23	circumrenditur adde enim.
53	18	paſſu Parua.
92	4	cauſa adeo mihi quidē vna ſola & [illegible] quam [illegible] rationem qualitatum actiuarum, &c.
94	8	ſem [illegible]
97	28	Pupilla Pupilla.
106	25	lauan [illegible] lauandam.
106	28	Acſto [illegible]
111	24	conſtringuntur conſtringantur.
113	20	Sic [illegible]
114	15	ſoutes [illegible]
117	30	ſirmis.

Digitized by Google

Digitized by Google